PROVINCIALE
BIBLIOTECA
T. STIGLIANI
Ente
D'Errico
3763
MATERA

A2284

JANI VINCENTII GRAVINÆ JURISCONSULTI OPERA,

SEU

ORIGINUM JURIS CIVILIS LIBRI TRES,

QUIBUS ACCEDUNT

DE ROMANO IMPERIO LIBER SINGULARIS. ORATIONES, ET OPUSCULA LATINA. INSTITUTIONUM J. RECEPT. LIB. IV.

DISSERTATIO DE CENSURA ROMANORUM, ET INSTITUTIONUM CANONIC. LIB. III.

Recensuit, & Adnotationibus auxit

GOTFRIDUS MASCOVIUS

Reg. Magn. Britan. Consil. Aul. & in Academia Goettingensi Juris Professor.

EDITIO NOVISSIMA AD VENETI EXEMPLARIS PITTERIANI FORMAM EXACTA;

At vero mendis quamplurimis, vel sententiam perturbantibus, quibus Exemplar illud scatebat sedula opera expurgata.

TOMUS SECUNDUS.

NEAPOLI MDCCLVI.

PUBLICA AUCTORITATE

EXCUDEBAT JOSEPHUS RAYMUNDUS

SUMPTIBUS ANTONII CERVONE.

PALATIUM S. CRUCENSIS (PRAEFECTURA) LENTE D. TRIBU

JANI VINCENTII GRAVINÆ JURISCONSULTI DE ROMANO IMPERIO *LIBER SINGULARIS.* AD S. P. Q. R.

CAPUT PRIMUM.

De justis Imperii Romani causis. (*)

QUoniam imperandi jus inter homines oritur a ratione, per quam, contracta societate civili, sapientia legislatoris & potentia principis conferuntur ad communem & singulorum utilitatem, quæ unica est justorum imperiorum origo, & fons legitimus, atque perpetua causa universæ potestatis; propterea illud inter homines imperium, jure naturæ, dominatur, ubi rationis versetur plurimum, quale fuerit id, quod non ad certi alicujus hominis, certæve familiæ, aut ad certarum nationum, sed ad universarum sibi adjunctarum gentium commodum fuerit honorum, atque magistratuum participatione comparatum ab hominibus, qui ceteris mortalibus omni virtutum genere præstiterunt, victoriisque suis cultum animi ac mentis rectum usum profligata barbarie propagarunt: quales Romani fuerunt; qui tali erga genus humanum beneficentia, in omnes imperandi jus, veluti majores in minores, a naturæ lege acceperunt. Unde Dionysius repressurus indignationem & invidiam Græcorum, Romanos iniquis animis ferentium: *Æquo animo* (inquit) *justa subjectio perferenda. Naturæ namque communique omnium lege, nullo peritura tempore, præstantiores inferioribus perpetuo præsunt. Neque accusanda fortuna, quasi gratuito tantum imperium urbi minus idoneæ tamdiu tradiderit. Discent enim* (Græci) *ex hac historia, urbem talem a suis continuo primordiis innume-*

(*) Præcipuum Auctoris consilium est ostendere, Imperium Romanum a Senatu & P. R. cum principibus tantum communicatum & certis legibus adstrictum fuisse, quibus neque per vim, etsi insecuto diuturno tempore, neque ulla alia ratione solvi potuerint. Quod posterius falsum est, ut infra ostendemus, cum contra lex Regia, qua potestati principis limites ponebantur. etiam a Jo. Friderico Gronovio & Gerardo Noodt VV. CL. CL. in singularibus orationibus plenius asserta sit. Suadet vero simul instaurationem ejusdem imperii in c. 2. f. ideoque hoc loco justas ejus causas repetere voluit. Conjuncta itaque sententia Platonis & Aristotelis de regno sapientis cum opinione Hobbesii de jure potentioris in imbecilliorem, contendit, Imperium Romanum fuisse justum, quia Romani omnibus reliquis gentibus sapientiores & potentiores fuerint. Sed cum quævis gens sapientissima videatur & potentia etiam latrocinia nitantur, justitiæ Imperii Rom. parum præsidii repositum est in rationibus Auctoris, qui ejus originem ab unico justorum imperiorum fonte, legitimo civium consensu repetere debebat.

merabiles emisisse virtutes hominum, quibus neque sanctiores neque justiores, neque temperantiores in universa vita, neque in re militari præstantiores unquam Græca, vel barbara civitas ulla tulit. Hinc merito Romanorum Imperio juris gentium auctoritatem tributam censemus: nimirum & propter summas virtutes victoris populi, & quia legum suarum auctoritatem, & linguæ usum, & morum gravitatem, & munera omnia sua, & civitatem Romanam, & Majestatem propriam nempe semetipsum cum sociis suis, hoc est cum gentibus communicavit universis; ut in Imperio Romano suam singuli libertatem in perpetuum deposuerint.

CAPUT II.

De Romani Imperii natura.

QUocirca Romanum Imperium definimus: societatem omnium gentium (*) æqua juris ac civitatis communione contractam. Constat enim instituto Romanorum, pluribus quidem antea, post Antonini vero Caracallæ constitutionem, omnibus, qui sunt in orbe Romano, Romanam quoque civitatem fuisse tributam. Quod sane imperium justis ex causis coaluit: quia cum terra pateat omnibus indigentibus, liceatque locum ad habitandum aut petere, aut per se capere, in quo naturalis ac civilis vita ducatur: fas Romulo quoque fuit sibi ac gentibus secum adlectis, fundare Latino in agro civitatem, præcipuæ in Albanorum regione, in quam ille ac frater, permissu Numitoris Albani Regis, Coloniam deduxerunt: qualem Romam ab initio fuisse, Dionysius, scriptor diligentissimus, ex veteribus monumentis ostendit.

Fines autem Imperii sui populus Romanus propagavit justis piisque gerendis bellis, utpote non ad inferendam, sed vel ad arcendam a se, atque a sociis injuriam, vel ad opem poscentibus præbendam, occasione ipsa ducente, susceptis. Quod fatentur legati Rhodiorum apud Livium (*a*) his verbis: *Certe quidem vos estis Romani qui ideo felicia vestra bella esse, quia justa sunt, præ vobis fertis; nec tantum exitu eorum quod vincatis, quam principiis, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini.*

Et tamen, etsi non omnes causas Imperium Romanum habuisset justas; exitu tamen redderetur justissimum, propter contributionem & communionem, quam diximus, juris sui cum omnibus ab se devictis nationibus, quibus perinde ac Romanis magistratus capessere licuit & ipsum Imperium. Unde Claudianus (*b*)

Hæc (Roma) *est, in gremium victos quæ sola recepit;*
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris non dominæ ritu; civemque vocavit,
Quem domuit, nexuque pio longinqua revinxit:
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes.

Item paullo post

Quod cuncti gens una sumus.

Unde tot domitis nationibus totum mundum a Probo factum fuisse Romanum, ait Vopiscus, (*c*) & Prudentius contra Symmachum. (*d*)

Hinc frenaturus rabiem Deus; undique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus isdem:
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus, et Ister,
Quos Tagus amphifluus; quos magnus inundat Iberus
Corniger Hesperidum, quos interlabitur & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem hostia Nili.

cum

[*] Hyperbolice Auctor Imperium Romanum societatem omnium gentium appellat, cum vix decima pars orbis cultu in potestate fuerit Romanorum. Neglectis vero sententiis superioribus, ex quibus hoc loco assumendum erat, Romanos etiam ab initio fuisse sapientiores & potentiores reliquis gentibus, justitiam Imperii Romani aliunde doceat, & primo quidem, quia Romanis licuerit casas in agro Albano ponere: tum quia Pop. Rom. bella gesserit magis ad arcendam, quam ad inferendam vim, & tandem, quia nec si justas semper belli causas habuerit, dein tamen redditum fuerit justissimum, propter jus suum cum devictis gentibus communicatum. Quarum rationum prima parum proficit ad rei summam, secundam æque facile negaveris ac eam Auctor asseverat, inprimis si memineris dicti Carneadis, Populo Romano, si justitia colenda sit, ad casas revertendum esse. Communicatio autem juris cum gentibus devictis lenire jugum potuit, imperium autem per se non reddet justum, nisi accesserit populi devicti consensus, saltem præsumptus, ex neglecta occasione sese in libertatem vindicandi.

(*a*) *Lib.* 45. *cap.* 22.
(*b*) *in Stilic. lib.* 3. *v.* 150.
(*c*) *in Probo cap.* 20.
(*d*) 54. *v.* 601.

cum quo consonat & Augustinus. (*a*) Qua ratione sicuti omnium commodo est institutum, ita neque ab ullo everti, neque in proprii regni formulam, aut in aliud administrationis genus, sive expresse, sive tacite per temporis diuturnitatem transferri licuerit: cum neque tempus ullum, neque ulla ratio contra justitiam (*) dimicet & communem hominum libertatem, conditam in universarum fœdere nationum Imperii Romani vinculo coherentium. Quosi si vel eversum, vel lacerum, vel transductum in aliam formam inveniatur, interest mortalium sarcire illud, atque restituere collapsum, quia nihil justius est, quam continere, atque instaurare id, cujus dissolutione dirimitur societas nationum omnium & civile vinculum mutuæ charitatis: adeo ut jus, quod promiscue offerebatur singulis, contrahatur ad paucos, qui magistratus, & honores, aut ad certas familias, aut ad peculiarem populum, exclusis aliis, transferant. Ceteri enim populi a communi jure libertatis adducuntur in servitutem, cum eis adimitur promiscuus usus & perfunctio magistratuum, quibus vicissim sibi parent & imperant, in quo summa vertitur libertatis.

CAPUT III.

De Imperio in Republica constituto.

POrro Imperii institutio minime rempublicam sustulit, neque delevit libertatem Romanam, qua populorum aliorum libertas comprehendebatur: quia Dictatoriam Augustus minime tulit a populo potestatem, (*b*) quæ patrem suum conjuratis objecerat; (*c*) sed Imperatoriam (**) sive militarem nempe armorum regimen, non evertendæ, sed tuendæ Reipublicæ, quæ opus habuit hoc extraordinario munere in tanta vastitate dominationis & multitudine negotiorum, quæ sæpe fines ordinariarum potestatum excedebant. Unde Cujacius (*d*) extra ordinem explicat *auctoritate Principis:* ad quam excurrendum erat tanquam ad Reipublicæ dexteram, ubi opus esset impressione militari ad compescendos puta motus multitudinis, & ad alia improvisa & subita, sive in provinciis, sive ipsa in urbe componenda atque sedanda, una cum capite civilis corporis nempe Senatu, in quo mens & ratio manebat; unaque cum aliis magistratibus ordinariis, nempe Consulibus, Prætoribus, cæterisque, per quos pro sua cujusque portione Respublica gerebatur more majorum. Unde optime ac peritissime pro summa eruditione sua Cujacius (*e*) scribit, regimen Reipublicæ perrexisse lento progressu a vi & potestate Regis ad populum, a populo ad Senatum, a Senatu ad unum non regem, sed principem, quasi in Rep. & Senatu primum, qui nec populi sibi, nec Senatus jus omne vindicaret, sed cum eo partiretur. Quamobrem Imperator erat in potestate Reipublicæ, Respublica vero sub administratione Senatus & Imperatorum: cum Reipublicæ, Senatus consilium, Imperator opem & arma præberet. Hinc Antoninus apud Herodianum ait: *Siquidem in illa urbe sita est Imperii fortuna; nobis autem dispensatio tantum, atque administratio principatus una vobiscum* (*nempe Senatoribus*) *posita est.* Et eundem, Dion refert, existimasse ac palam tulisse, omnes res omniaque negotia Senatus esse, & popu-

(*a*) *in Psal.* 58.
(*) Paullo ante tamen dixerat, Romanum Imperium etsi non omnes belli causas justas habuerit, exitu tamen justissimum redditum esse propter contributionem & communionem juris sui cum nationibus a se devictis, quod quare contra Romanos quoque admitti non debeat, haud apparet. Consilium ceterum Auctoris de restituendo Imperio Rom. Platonis somniis de Republica beata, aut aliorum commentis de pace æterna, vel Monarchia universali merito comparaveris.
(*b*) Vellejus *lib.* 2. *pag.* 247.
(*c*) Dion *lib.* 53. *pag.* 506.
(**) Imperatoris tamen nomen Augusto tributum multo tum plus complectebatur, quam antea nomen Dictatoris, cum Octavium cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub Imperium recepisse Tacitus auctor sit *Annal. lib. I. c.* 1. & multa Vespasiano quoque in lege Regia tribuantur, quorum exfors erat Dictator. Nomine Regis & dictatoris per σχῆμα politicum etiam tum Imperatores; abstinuerunt, cum absoluto uterentur Imperio, donec tandem nomen Imperatorium omnes Regum titulos exsuperaret. Perinde nec in sequenti capite significatus vocis princeps peti debebat a temporibus liberæ Reipublicæ, aut in §. 5. Imperantis potestas tam follicite distingui ab ea jubentis.
(*d*) L. *si cui* 92. *ff. de condit. & demonst. lib.* 8. *vesp. Papin. L. mater* 93. *ff. eod.*
(*e*) *ad l.* 2. §. *eodem tempore ff. de O. J.*

populi, (a) & Tacitus: *Non regno tamen, neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam Rempubl.*

CAPUT IV.

De Principe Romanorum.

PRincipis autem nomen adeo procul erat a Rege, ut florente Rep. tribueretur ei qui præcelleret inter Senatores, quippe totius veluti Senatus caput Princeps Senatus a Censore appellabatur. Quo exemplo & Imperator Princeps nuncupabatur, tanquam in urbe Primus. (b) Quod egregie notat & ipsius Tiberii verbis distinguit Dion, cum refert, Principem Senatus ritu prisco vocatum Tiberium, eundumque dicere consueviſſe, Dominum ſe eſſe ſervorum, quos habebat, Imperatorem militum; ceterorum vero Principem, hoc eſt caput civium. Talis nimirum eſt Imperator, qualem ſe profitebatur Adrianus (c) in concione & in Senatu, cum palam ediceret, ſe Rempub. ita geſturum, ut ſciret, populi rem eſſe, non propriam. Hinc & Alexander Severus diſpenſationem ſe publicum re verbiſque ferebat. Diſpenſator vero ſervus erat iis, ad quem totius familiæ rationes & peculii adminiſtratio pertinebat, ut intelligamus, non arbitrium Reipublicæ, quod erat penes S. P. Q R. ſed miniſterium tantum illius ad Imperatorem, delato Imperio; pervenire.

CAPUT V.

Quid ſit imperare.

CUjus miniſterii moderatio & poteſtatis temperamentum, imperandi quam jubendi verbo melius exprimitur: quia mitius eſt imperare, quam jubere, ut obſervare licet apud JCtos primæva, propriaque in ſignificatione præ ceteris verba locantes. Unde Paullus (d) ex verbo *Impero*, fideicommiſſum docet emanare, quod rogantis ſere ſit; non legatum, quod eſt jubentis. (e) Propterea Cujacius (f) Principem a Domino inde diſtinguit, quod dominus jubeat, princeps imperet: quamvis apud auctores alios in verborum proprietate remiſſiores *jubere* & *imperare* confundantur. Novit vero & diligenter eorum differentiam notavit Antonius Popma (g) docens, *imperare* eſſe onus imponere, ut *imperavit frumentum*; *jubere* autem eſſe aliquid neceſſario velle, ut *bellum ex auctoritate Patrum populus juſſit*. Non negaverim tamen, majorem hoc verbum traxiſſe poteſtatem & vim ab uſu militari, cum dux exercitus ob eminentiam virtutis, & laudis, parta inſigni victoria, ingenti plauſu appellaretur Imperator etiam Imperio in republica conſtituto, quod de Blæſo memorat Tacitus; (h) ut hoc verbo ducibus honos militari clamore augeretur. Quod poſtea Senatuſconſulto confirmabatur. (i) Quem Auguſtus honorem vicies circiter a militibus acceperat. (k) ſed eo anno, quo quintum Conſul fuit, Imperatoris titulum in perpetuum ſuſcepit (l) ad explicandam extraordinariam poteſtatem armorum, in quem uſum idem titulus Cæſari fuerat, ejuſque poſteritati tributus. (m) Hinc poſtea hæc vox & ſummæ poteſtatis militaris exprimendæ vice fungebatur & honorandi poſt victoriam ducis, atque ipſius etiam Cæſaris celebrandi, qui toties Imperator appellabatur, quoties, re feliciter geſta, militari acclamatione hanc meruiſſet laudem, unde Imperator III. IV. V. ac deinceps pro numero victoriarum inſcribebatur. (n)

Cum vero Imperatoris nomen ad poteſtatem ſignificandam adhiberetur; ea voce non veniebant regia poteſtas, ut male Tillemontius, (o) (*) Caſaubono etiam auctore (p) cum

(a) *vide* Cauſaubon. *in not. ad* Spartian. *p.* 36.
(b) Lipſ. *in Tacit. p.* 6.
(c) Spartian. *in Adrian. cap.* 8.
(d) *lib.* 4. *ſent. tit.* 1.
(e) *vide omnino* Alciat. *l.* 7. *c.* 13.
(f) *ad lib.* 19. *quæſt.* Papin. *l. unum ex fam.* 67. *ff. de leg.* 2.
(g) *de differ. verb. lib.* 3.
(h) *lib.* 3. *annal.*
(i) Sigon. *de jur. provinc. lib.* 2. *cap.* 7.
(k) Caſaub. *in* Svet. *lib.* 1. *c.* 76.
(l) Dion *lib.* 52. *p.* 493. *& ſeq.*
(m) Dion *lib.* 44. *p.* 235.
(n) Dion *eod. lib.* 236.
(o) *in Auguſt. art.* 3.
(*) Tota lis cum Tillemontio in fumum abit, quia Gravina ſola imperia abſoluta regni nomine dignatur, cum Tillemontius illud etiam limitatis tribuat, e quorum numero tum omnino erat Imperium Romanum, quum poteſtas Imperatorum lege Regia circumſcriberetur, neque in rei exitu magnopere intereſſe videtur, utrum Imperator jura Majeſtatica, cum exercitum conſcriberet, pecuniam cogeret, bella ſuſciperet, pacem faceret, vi imperii explicuerit, an vi ceterorum munerum in ipſius perſona conjunctorum. (p) *in Jul. Cæſ. c.* 76.

cum vulgo ſcriptorum ex Dione colligit; ſed militare tantum imperium, quod vi tamen & oblique, atque obſcure perveniebat eo, quo poteſtas regia palam & directo ferebatur. (a) Tradit quidem Dion, Imperatoris fuiſſe jus conſcribendi exercitus, belli paciſque arbitrium, pecuniarum contrahendarum facultatem, & capitalem animadverſionem. Verum non ad Imperatoriam auctoritatem hæc omnia revocat, ſed ad munera veteris popularisque Reipub. quorum ſuprema princeps in ſe transferebat, veluti crebros Conſulatus, poteſtatem Tribuniciam, Proconſulare Imperium, quibus Imperator induebat ſummam ac ſupremam civilibus etiam in negociis poteſtatem in principem tranſeuntem non jure quidem regio, quod Brutus extinxerat, neque ex Dictatura, quam Auguſtus, utpote ſibi maxime periculoſam inviſamque populo recuſavit, ſed jure ordinariorum magiſtratuum a ſe ſuſceptorum: quibus in unius perſonam vel perpetuo cumulatis, vel crebro repetitis ad exitum Regiæ poteſtatis arte hac ſubdola perveniebat is, cui tradebatur militare imperium, per quod munera, quæ vellet, ad ſe civilia trahebat; cum leges plerumque pareant armis. Ideo Dion (b) poſtquam conſuetos Imperatoris magiſtratus enumeraverat, ſubjicit illius facultates non ex Imperatorio jure, ſed ex illis magiſtratibus profluentes: ait enim, Imperatores ἐκ μὲν τούτων τῶν ὀνομάτων ex horum (nempe magiſtratuum) nominibus exercitus conſcribere, pecuniam cogere, bella ſuſcipere, pacem facere, & inferius καὶ ὃς ἐκ τούτων τῶν δημοκρατικῶν ὀνομάτων, πασαν τὴν τῆς πολιτείας ἰσχὺν περιβέβληνται. *Itaque his popularibus nominibus omne induunt Reipublicæ robur*. Plurima vero eorum, quæ Imperatoribus adſcribunt hiſtorici ſine mentione magiſtratuum ſuſceptorum, ea omnia illorum ad magiſtratuum poteſtatem, non ad poteſtatem ullam Regiam Imperatoris eſſe revocanda, plurima antiquitatis monumenta teſtantur, præcipue illud Ancyranum, quo res ab Auguſto geſtæ atque a ſe ipſo in breviarium redactæ continentur, præcipue cap. 2. cujus hæc ſuperſunt:

Patriciorum numerum auxi Conſul V. juſſu populi & Senatus, Senatum ter legi, & in Conſulatu VI. cenſum Popul. Roman. Collega M. Agrippa egi.

En hæc omnia, quorum ad exemplum & alia licet conjicere, non Imperatoriæ poteſtati, ſed Conſulatibus, & poteſtati Cenſoriæ a populo & Senatu imperatæ tribuuntur. Mos item ſcriptorum eſt, ut qui cauſam mortis reo dedit, pro auctore proferant: veluti Svetonius initio vitæ *Vitellianæ* inquit *accuſavit, condemnavitque*, cum idem accuſator & condemnator eſſe nequeat. Sed quia cauſſa fuit, ut condemnaretur ex accuſatione ſua, propterea judicis etiam ei perſonam impoſuit, ad quod exemplum trahi poſſent plurima, quæ tribuuntur Imperatoribus, non ex auctoritate Imperatoria profecta ſed ex occaſione ab ipſis Cæſaribus oblata. Nam & Ulpianus accuſatori condemnationem tribuit, propterea quod per illius accuſationem reus a judice condemnetur. Unde ſcribit: *peregiſſe reum* (accuſator) *non alias videtur, niſi & condemnaverit*, hoc eſt, niſi effecerit ut condemnaretur.

CAPUT VI.

De origine Imperatoris.

EST igitur Imperator ſummus ac perpetuus dux exercituum Romanorum. Quam Auguſtus auctoritatem, ne per hanc viam redire occulto videretur ad Dictaturam, nunquam in perpetuum, ſed aliquando in quinquennium, ſæpius in decennium accepit, ut eam tamen tota vita continuarit, decimo quoque anno Imperio ſibi prorogato, per cauſſam rebellantium provinciarum, quas decennio pacari poſſe toties obtendebat, quoties exeunte Imperii die rogatus ac tanquam invitus erat illud iterum recepturus. Inde orta decennalia ſequentium etiam Imperatorum, qui etſi crearentur in perpetuum, tamen decimo quoque anno feſtis diebus, & ſolemnibus ludis, velut Imperii ſibi renovati lætitiam ſimul cum populo capiebant. (c) Provincias vero ita cum Senatu diviſit Auguſtus, ut indomitas & tumultuantes; quibus coercendis opus eſſet copiis militaribus, ipſe ſuſceperit, verbo qui-

(a) *vide* Sines. *apud eundem* Caſaub. *in vita Adrian. cap.* 11. *verbo ergo conv. reg. mor. militib.*
(b) *lib.* 53. *pag.* 508.
(c) Dion *lib.* 53. *p.* 570.

quidem quasi *majus periculum pro Republica ultro subiturus; re* autem ut simul cum provinciis *illis etiam* exercitus ad eas provincias *mittendas*, & militiam universam, qua cives *perterrefaceret*, in potestate haberet ; (*a*) pacatas vero provincias & tranquillas, unde honorificentiæ plus quam virium trahebatur, Senatui Populoque permisit: unde & Italia in Senatus administratione permansit: (*b*) ideoque inter Cæsareas provincias a Dione (*c*) minime recensetur, quod inde contigit, quod nemo unquam Imperatorum, ac ne quidem triumviri ipsi de Italia, quæ domina erat omnium provinciarum, sed pro Italia certare se ostendebant, ideoque in divisione Imperii inter Lepidum Antonium & Octavium, nulli eorum Italia fuit attributa: sed in Senatus potestate mansit, nec ad eos pervenit, qui tantum pacandarum provinciarum causa, quibus Italia præerat, militare Imperium retinebant. Hæc enim Dion scribit: (*d*) Italia ἐξαίρετόν τι ἀεὶ ποτε ἐν τῷ τοῖς τοιοῦτοις ἔμενεν. pag. 357. (*)

CAPUT VII.

De Cæsareis Magistratibus & de Pontificatu Maximo.

SEd jam Imperatorem ex acie productum, perducamus ad eos magistratus, per quos potestatem omnem civilem occupavit. Quam Principes tuto se minime sperabant retenturos, nisi eam religione muniissent, susceptoque Pontificatu Maximo, arripuissent potestatem rerum divinarum, (*e*) quibus humana omnia obligantur atque volvuntur. Igitur, ut per divina in arbitrium suum humana omnia redigerent, Imperatores non solum Augu-ratum, & Quindecimviratum sacrorum, que majora sacerdotia erant, sed Augusti exemplo, ipsum susceperunt Pontificatum Maximum. Quo jure Pontificibus aliis ac sacerdotiis omnibus imperabant, de sacris, ceremoniis, & ritibus, omnique Deorum cultu non Edicta proponebant modo, sed & ferebant Leges; (*f*) ac, si vellent, simul cum aliorum Pontificum collegio multabant violatores sacrorum, & caussas religionum judicabant, & obscurum quod esset in jure sacro interpretatione pandebant. A qua ne potestate caderent Imperatores Christiani, dum vetus superstitio adhuc maneret, ad Gratianum usque, Pontificatum Maximum, etsi animo rejectum, extrinsecus tamen hactenus, arbitror, usurpaverunt, quatenus eis necessaria esset sacerdotii illius auctoritas: quam ita cum nomine, & forsan cum amictu etiam Pontificatus induebant, ut ritus tamen, ceremonias & sacrificia Pontificalia, quæ in falsorum numinum honorem vertebant, omnino repudiarent. Nam si auctoritatem ipsam Pontificiam abjecissent, & reliquissent aliis tantam muneris potentiam; non solum amisissent omnes jus sacrorum & auspiciorum sive civilium, sive militarium, quibus populus & milites in fide continebantur; neque tantum se in superstitione nondum satis inclinata magna imperii portione, multassent; sed & grave periculum sibi creassent ab eo, qui falsorum sacrorum auctoritate per homines veteri errore correptos res & consilia Principis turbare potuisset. Quam sacrorum potestatem, suscepto amictu Pontificio, exprimere oportebat: ideoque haud facile a Zosimo dissenserim, qui refert, potestatem simul hanc & insigne illius prælatum fuisse ab Imperatoribus etiam Christianis usque ad Gratianum, qui primus, egregio pietatis exemplo, recusato amictu Pontificio, exteriorem quoque faciem hujus superstitiosi muneris a se avertit; utcunque Gothofredus junior, & cum recentioribus aliis eruditorum Tillemontius contra Zosimum pugnent: quem alia præter

(*a*) *lib.* 48. *in princ.*
(*b*) Dion *lib.* 53. Tacit. *annal.* 1. Strab. *liber ult. in fine.*
[*c*] Tillemontius *in August. art.* 4.
(*d*) *lib.* 48. *in princ.*
(*) Descriptionem Imperatoris, in principio hujus capitis proditam, nemo tulerit in Principe Romano. Augustus cum nomen Imperatoris declinat, & Imperium in quinquennium tantum vel decennium suscipit, populi auribus insidiatur, re ipsa satis ostendens, id se agere, non, ut nomine Senatus Imperator sit exercitus, sed ut Majestatem cum Senatu & populo Romano saltem divisam & communem habeat. Si dux tantum exercitus Romani erat, provinciis turbulentis præesse poterat, etiamsi eæ in potestate mansissent Senatus. Quæ in fine capitis de Italia dicuntur, elegantis sunt observationis.
(*e*) Dion *lib.* 53.
(*f*) Dionys. *lib.* 2. *p.* 132. *sub. num.* 4.

ter argumenta, tuetur hæc potissimum a nobis adducta ratio exercendæ sacræ potestatis, jurisque auguralis, quo sine vinculo quonam pacto Imperator tot milites a vero cultu aberrantes ad militare sacramentum adegisset, militarique disciplina rexisset, quæ falsorum numinum religione nitebatur? Quin imo Religio, non solum, quæ dimicat armis divinitatis; sed etiam falsa, quæ armatur viribus multitudinis, adeo pollet in rebus humanis, ut quando Princeps tulisset ullum se sacrorum auctoritate majorem, si qua contentio sacrorum causa erupisset, periculum fuisset, ne inter motus vulgi rerum divinarum arbitrum arbitro humanarum facile præferentis, ab ipsis militibus religione perstrictis, & dirarum formidine correptis adduceretur in Pontificis Maximi potestatem. [*]

CAPUT VIII.

De Tribunitia potestate.

POstquam autem Imperatores præsidio sibi adjunxerunt auctoritatem divinam, suam in custodiam vim etiam adhibuere popularem, assumta potestate Tribunitia, [*a*] in qua populus vires omnes suas, ac talem immunitatem collocaverat, ut qui Tribunum verbo aut re violasset, is tanquam sacrilegus ac devota Diis victima impune interficeretur: propterea que Tribunitia potestas sacrosancta dicebatur, quia sancitum erat, ut sacer Diisque immolandus esset quisquis Tribunum offendisset. Quoniam autem Tribunus creandus erat e plebe, Imperator vero in Patriciorum numero censebatur, propterea non Tribunum se constituebat, sed suscipiebat Tribunitiam potestatem, ut relicto munere plebejo, muneris tamen auctoritatem assequeretur: quæ in Senatusconsultis impediendis per intercessionem Tribunorum pro-

priam, & in legibus ad populum ferendis, & in defendendis civibus versabatur, & præsertim in vitæ famæque securitate, quam omnem Princeps trahebat a potestate sacrosancta Tribunorum, in qua fundabantur majestatis leges: quibus eo nomine rei damnabantur, quod populum in Tribuno, & Tribunum in Principe violasse censerentur: adeo ut animadversio capitalis, qua plurimos sibi infensos, aut suspectos Imperatores sustulerunt, non e regio jure, quod Roma exulabat, sed e potestate Tribunitia profluxerit, per quam jura populi universa Princeps exhauserat. Ideo Tacitus [*b*] ait: *Id summi fastigii vocabulum reperisse Augustum, ne Regis, aut Dictatoris nomen adsumeret: & tamen appellatione aliqua cetera Imperia præmineret*. Et Svetonius (*c*) refert, Tiberium jure Tribunitiæ potestatis ultum fuisse convicium in se jactum, cum inter græculos sophistas Rhodi versaretur: citato pro tribunali, atque in carcerem conviciatore conjecto. Tribunitiam porro potestatem, excepto Tiberio, cui tribuebatur in quinquennium, (*d*) Augustus [*e*] exemplo Julii Cæsaris accepit perpetuam, quam sequentes Imperatores sibi renovabant singulis annis, quibus Tribuni alii creabantur: adeo ut ex annis Tribunitiæ potestatis qui notantur, anni colligantur Imperii: quamvis Imperatores non a Kalend. Jan. quibus Tribuni magistratum inibant, sed a die, quo potestatem [**] susceperant annos potestatis suæ Tribunitiæ ad Claudium usque II. Cæsarem numerarent.

CAPUT IX.

De Censura.

UT autem Principes famam, & statum aliorum propriæ potestati subjicerent,

(*) Itaque jus circa sacra quoque, eximiam Majestatis partem, apud Romanos exercebat Imperator. Supersunt etiamnum in Codice complures leges, quibus externus Ecclesiæ status, tum quoque paganorum cultus ordinatur, sive restringendus is visus sit, sive fovendus aliquantulum. Constantini M. Constitutiones ad sacra pertinentes inter ceteras exposuit Balduinus in *Constantino Magno*.
(*a*) Dion *lib.* 49. *& lib.* 53. *lit. C.*
(*b*) *lib.* 3. *ann. p.* 125.
(*c*) *in vita Tiberii cap.* 11.
(*d*) Sveton. *in Tiber. cap.* 16. Dion *lib.* 42. *pag.* 194. *& p.* 243.
(*e*) *idem in August. cap.* 27.
(**) Eadem sententia Pighii, Pagii & Ezechielis Spanhemii, sed eam luculenter refellit Vir eximius, Christianus Gottlieb Schvvartzius in *Exercitatione de numeranda Tribunitia potestate Augustorum Cæsarumque Romanorum*, qua ostendit, hanc regulam in iis tantum Imperatoribus veram esse, qui ex vita privata ad Imperium evecti fuerint, fallere in his, quibus data fuerit Tribunitia potestas, antequam Imperio admoverentur, quales fuerint Tiberius, Titus, Trajanus Marcus, Lucius Verus, Commodus, Caracalla & Geta.

atque in vitam & mores civium animadvertentes, quem vellent Senatorem e Senatu moverent, Equitem ex equestri ordine ad plebejos rejicerent, bonaque aliena censu agendo pro suo arbitrio æstimarent; Censoriam potestatem gerebant, vel solo exercitio sine ullo honore & nomine, (*a*) vel cum nomine atque honore magistratus, ut Domitianus, (*b*) qui Censuram perpetuam suscepit, vel sub nomine præfecturæ morum, ut Julius Cæsar, (*c*) aut morum legumque regiminis, ut Augustus, (*d*) qui patris exemplo, mutato ejus magistratus nomine, Censuræ odium invidiamque mulcebat.

CAPUT X.

De Proconsulatu.

URbanis hisce magistratibus in eorum personam collatis Imperatores conjunxerunt supremum provinciarum regimen delatum a Senatu per imperium Proconsulare, quod iis tribuebatur omnibus, adeo ut non modo in provinciis universis eam potestatem nanciscerentur, quam singuli Proconsules in sua, ubi rebus in civilibus potestatem, & in militaribus imperium habebant lege Curiata: sed imperium quoque liberum, ac summum sine provocatione, quale Cn. Pompejus bello piratico lege Gabinia impetraverat, [*e*] ubi fuissent Imperatores creati, a Senatu accipiebant. Quod imperium Proconsulare extra pomœrium, sive urbe statim egredientes sublatis insignibus exprome-bant in omnem orbem Romanum, propte-reaque & Proconsules appellabantur: (*f*) quamvis & intra pomœrium Augustus idem imperium ex S. C. retinuerit. Idque imperium est illud militare, in quo cardo vertitur principatus: quod florente Republica perquam raro & paucis, ac præfinito tempore; Imperatoribus vero tota vita tradebatur, tanquam Consules crearentur provinciarum omnium; cum Proconsul in certam provinciam Consularem potestatem explicaret. Quo imperio cum Principes omnem Proconsulum potestatem adprehenderint, propterea non consueverant solemniter inscribi *Proconsules*, ne veluti certis provinciarum finibus inclusi modum imperio suo accipere viderentur. Quæ causa latuit Casaubono valde admiranti, quod in suis titulis Principes illum *Proconsulis* non inseserant. Etsi non desint inscriptiones antiquæ [*] Imperatorum, [*g*] in quibus abscisse legitur *Procos.* vel *Proconsl.* Sed vel ab ignaris hæc & plerumque imperitis rerum civilium fabris adjecta fuerunt, quod intelligerent, Imperatorem agere atque haberi ubique Proconsulem: vel Proconsulare significant imperium. Quo facilius mihi persuadeo, ex omnibus Imperatorum juribus Proconsulare imperium, velut eorum fuisse ordinariam potestatem; cum nunquam illis a Senatu deesset, ubi semel a militibus Imperatores appellati sub ductu auspicioque suo P. R. exercitus accepissent. Tum enim eos, tanquam cognata potestas, Proconsulare imperium perpetuo comitabatur: utpote auctoritas militaris, quæ a Senatu ad confirmandum militum judicium, & ad expediendum munus Imperatorium tribuebatur: adeo ut in Imperio Proconsulari juris Imperatorii summa versetur: quo imperio ablato, ipse videtur ademtus Imperator; cum si auferantur magistratus urbani, nempe Tribunitia potestas, & Censura, nihil de Imperatorio munere pereat. Ideoque Tribunitia potestas, utpote adventitia simul, & summopere Principi necessaria, titulis interjicitur semper, ne sua cum fraude intermissa videretur ab Imperatore; Proconsulare vero Imperium sæpius omittitur, quia omnium opinione cum jure Imperatoris cohærebat, ut opus eo expresso non esset. Quod enim in discrimen venire nequibat, nullis titulorum erat monumentis reparandum. Ad coercendas quippe provincias per Imperium Proconsulare, Respublica ediderat Imperatorem. Ideo Trajanus, ut videretur sibi designasse successorem Neratium Priscum, (*h*) hæc ad eum

(*a*) Dion *lib.* 53.
(*b*) *fasti consulares*.
(*c*) Cicer. *lib.* 9. *epist.* 25. *ad fam.* Dion *lib.* 43. Sveton. *in Jul. cap.* 76.
(*d*) *fasti consulares*. Sveton. *in Aug. cap.* 27.
(*e*) Plutarch. *in Pomp.*
(*f*) Dion *lib.* 53. *pag.* 508.
(***) Ex Marsigli *monumentis Danubialibus* quoque inscriptiones duas, in quibus Proconsulis titulus nomini Imperatoris subjicitur, Schwartzius exhibet. §. 13. Rationes rei alii alias reddere satagunt. Spanhemius inter ceteros id ideo factum putat, quia Imperatores tantum, cum extra Urbem essent, hoc nomen usurpaverint.
(*g*) Vide Salmas. *in Marc. Antonin. cap.* 6.
(*h*) Spartian. *in Adrian. pag.* 21.

eum verba dixerit: *Commendo tibi provincias, si quid mihi fatale contigerit.*

CAPUT XI.

De jure referendi.

AD horum magistratuum plenitudinem Senatus adjiciebat Imperatoribus munera quædam consularia, quæ scilicet etiam quando Consules non crearentur, communia cum Consule habebant Imperatores, non jure quidem suo, sed ex facultate tributa. Eaque sunt potestas habendi Senatus, & Senatusconsulta faciendi, & ad Senatum referendi semel, aut bis, aut ter, sive de una, duobus, tribusve rebus: quod jus primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis appellabatur; nam hunc supra numerum concessum non invenitur. Quod satis arguit, quam procul abiret ab Imperatorio munere potestas regia illa, quæ pulsis Tarquiniis, singulis annis per populi Comitia conferebatur in Consules, in quos jure magistratus transibant munera ista, quorum Imperator Senatus concessione potiebatur: adeo ut non quemadmodum Consules statim post initum magistratum, aut aliquando post ipsorum designationem; sed post jus referendi eis a Senatu oblatum totidem de rebus relationem facere possent Imperatores, quot ferret a Senatu tributa facultas; quæ non eodem semper numero ad eos perveniebat. Augustus enim, quoties Senatus convocaretur, jus habebat unius tantum relationis, ut refert Dion, [*a*] cujus sincerum sensum a Xilandro eversum, optime reddidit Casaubonus, [*b*] [*] qui locum Dionis illum ita restituit: καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτου ἂν ἐθελήσει κατ' ἐκάστην βουλήν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ ἔδωκε. *Et ei permisit* (nempe Augusto Senatus) *de una re quamcumque voluisset, quoties Senatus haberetur, relationem facere, quamvis Consul non esset.* Xilander, neglecto ἑνὸς, non sine summo crimine, verterat, *de quibuscunque vellet*, quasi liberum Augusto per Senatum esset de rebus omnibus referre in infinitum: cum id, utpote portio potestatis Consularis nempe regiæ, per quam parce tribuerentur Imperatoribus, inter quos Probus (*e*) jus tertiæ relationis accepit, Pertinax quartæ, (*d*) M. Antoninus quintæ. (*e*)

(*a*) *lib.* 53. *in fin. p.* 516.
(*b*) *in Sveton. lib.* 1. *cap.* 20.
(***) Ex Casauboni sententia Dionem interpretatur Gutherius de *Off. dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 41. Casaubono illaudato. Sed poterant hæc eadem etiam pluribus in mentem venire.
(*c*) Vopiscus *in Probo.*
(*d*) Capitolin. *in Pertinace.*
(*e*) *idem in M. Antonin.*
(*f*) Sveton. *in Jul. Cæs. c.* 76. *in Aug. c.* 58. Dion *lib.* 44. *p.* 242.
(*g*) *lib.* 53. *pag.* 509.
(*h*) Spartian. *in Adrian. p.* 17.

CAPUT XII.

De Patris Patriæ appellatione.

QUO autem admoneretur Imperator, se Reipublicæ causa imperare, non sua, eundem honorem ferebat a Senatu, quem M. Tullius conservator urbis acceperat a Q. Catulo, nempe Patris Patriæ appellationem: qua Principi populus non tradebatur tanquam in patriam potestatem; sed tanquam liberi paternæ bænevolentiæ ac beneficentiæ commendabatur: ut Imperatores quidem benefactis eorum a populo parentum censerentur loco; populus vero illorum tanquam parentum officiis & laboribus frueretur. Quo sensu istitutum hunc honorem fuisse, cum primum Julio Cæsari, (*f*) deinde Augusto deferretur, scribit Dion, utcunque huic eidem honori sequentium temporum adulatio juris patrii aliquid indiderit: quod forsan in hortando atque admonendo ponebatur. Hinc Tiberius, sive uti modestiæ simulator callidissimus, qualis a Tacito in deterius omnia Principis illius trahente perhibetur, sive potestatis, quam illustrium nominum appetentior, cognomentum hoc tanquam inutiliter invidiosum refugit. Adrianus (*g*) distulit, Augustum imitatus, a quo sero acceptum memorabat: tribuebatur enim, ut Appianus scribit, non ad amplificationem potestatis, sed ad perfectum testimonium egregie meritorum.

CAPUT XIII.

De Senatoria Imperatoris dignitate.

PRæterea ut Princeps potiretur Senatus juribus, & ejus ordinis majestatem tueretur, unde & ipse duceret suam; si creatus Imperator antea Senator non fuisset, ad im-

perium vocatus continuo in Senatum legebatur : propterea quod ex Imperatore ac Senatoribus unum in Republica corpus componeretur ad regimen orbis terrarum : ut profitetur Julianus. (*a*) Quam potestatis communionem cum Senatu ita oderat Nero, ut Vatinius, cum gratius ei blandiretur, diceret: *Odi te, Cæsar, quod Senatorius es*. Urebat nimirum superbos Principes plura sibi esse permissa tanquam Senatoribus, quæ pro suo jure tanquam Principes usurpare maluissent. (*b*) Nam Augusti appellatio venerationis & honoris, non potestatis incrementum afferebat: Octavius enim erubescens sibi Romuli nomen adserere, illud Augusti ejus loco accepit ad successores productum simul cum Cæsaris cognomento, quo ille successionem hereditariam Julii ; posteriores vero Principes proximam suam Imperii spem notavere: Unde Cæsar tanquam designatus; Augustus tanquam sublatus ad Imperium, Princeps dicebatur, de quo alio loco fusius. Nunc enim opportune subjiciemus Senatus potestatem, ut doceamur quæ Princeps tanquam Senator gereret, & quam potestatem Senatus in Principem, utpote Senatorii corporis portionem retineret.

CAPUT XIV.

De auctoritate Senatus.

ROmulus igitur imbutus institutis Græcorum e commercio finitimarum gentium, apud quas Numitoris jussu fuerat educatus, regimen fundaturus in exulum turba & agrestium ac bellicosorum hominum, odio servitutis & spe augendæ libertatis ad eum confluentium; sui Principatus exemplum non cepit a stolida dominatione barbarorum, atque Persarum, quorum jura omnia e Regis voluntate fluebant; sed a Thesei regno, qui belli tantum se ducem, & legum custodem ferebat; cetera civibus permittebat, [*c*] & a Republica Lacedæmoniorum, quorum sub Regibus Senatorii, ac Plebei ordinis auctoritas, & per eam civium libertas integra manebat. [*d*] Quocirca publicam potestatem Romulus inter Regem, Senatum, & Populum ita distribuit, ut nullius potentia communem everteret libertatem. Quamvis enim domi militiæque ipse præesset; jussa tamen sua suspendit a judicio Senatus (*e*) illi enim publicorum omnium negociorum permisit auctoritatem, plebe ipsa minime neglecta, cui, cum in universi populi corpus concederet; (***) magistratus creationem, & legislationis jus, & belli pacisque reliquit arbitrium. Unde Minucius apud Dionysium (*f*) memorat, sub Regum administratione nil actum sine S. C. fuisse: adeo ut nec populi scita sine S. C. rata haberentur [*g*] quamvis postea versa ratio fuerit; aucta populi potentia, qui non modo lege Valeria judiciorum capitalium potestatem accepit, instituta provocatione ad populum; sed tribunitiis contentionibus obtinuit, ut omnia Senatusconsulta populi judicio comprobarentur.

CAPUT XV.

De Republica in Senatum translata & de Comitiis.

IMperio autem in Republica exorto, elanguerant quidem vires animique Senatorum sibi cuique metuentium a potentia militari unius in manu collocata; non tamen ceciderunt, sed potius invaluerunt jura Senatus, quoniam Imperatores facilius sibi ducentes nobilium & paucorum, quam ignotæ atque infinitæ multitudinis, sive metu, sive gratia versare animos; arte potentiaque sua curarunt, ut Comitia e populo transferrentur ad Senatum; in quem una cum Comitiis transierunt omnia jura populi & consequenter magistratuum creatio, & judicia capitalia, & summa legum potestas, & belli pacisque arbitrium: ut breviter omnis Respublica e campo migrarit in curiam. Quæ Comitiorum sub Dictatura, & Triumviratu turbatorum translatio non Augustum, qui ea pristino more ad populum sibi morigerum revocaverat; [*b*] sed Tiberium

[*a*] *l.* 8. *C. de dignit. ubi* Cujac.
(*b*) Plinius *in paneg.*
(*c*) Plutarch. *in vita Cleomenis, & Agesilai.*
(*d*) Polyb. *lib.* 6.
(*e*) Dionys. *lib.* 2. *p.* 87. *de Sen.*
(***) Ratio loquendi minus perspicua. Illud vult, credo, reliquum tum populum, præter Romulum & Senatum, plebem fuisse.
(*f*) *lib.* 7. *p.* 445.
[*g*] Livius *lib.* 1.
[*h*] Dion *lib.* 53. *p.* 511. Svet. *lib.* 2. *cap.* 40. Tacit. *annal. lib.* 1.

berium habuit auctorem, qui sibi minus putans negotii fore cum paucis, quam cum universis; ut deprimeret plebem, avito plebejorum odio extulit optimates, & exercitium potestatis civilis populo ereptum, tradidit Senatoribus: quorum voluntas, motus, atque conatus ei & apertiores erant, utpote cum de illorum numero esset ipse unus, & flexibiliores propter militarem potentiam, qua facilius divites, & nobiles opibus honoribusque suis metuentes, quam ignota, & improvida multitudo, comprimuntur. Unde ab eo tempore popularis quæ fuerat, versa est in Rempublicam optimatum, cujus militare caput erat Imperator, civile Consul; corpus vero integrum Senatus. Et quamvis Tiberio, nisi ab omnibus rogaretur, fas non fuisset mutare Rempubl. tamen quia initio populus non admodum indigne tulit, postea vero neglexit ac dissimulavit, ut Tacitus testatur, qui scribit, (*a*) *populum ademtum sibi Comitiorum jus quæstum non esse nisi inani rumore*; propterea quod initio quidem erat infirmum, utpote non a communi consilio, sed ab unius potentia procedens, postea tamen tacita populi voluntate, atque illius ratihabitione convaluit: præsertim quia loco suffragiorum, populus favorem suum præstabat iis, qui a Senatu crearentur, ne deesse videretur populus Consulibus creatis; ut ostendit Tacitus, cum ait: *Vitellium, ut se popularem ferret, Comitia Consulum cum Candidatis celebrantem, omnem infimæ plebis rumorem in theatro ut spectatorem, in circo ut fautorem affectasse*. (*b*) Propterea etiam Dionis tempore Comitia durabant: ne contra leges creati viderentur magistratus ὁσίας ἕνεκα, ut ille ait. [*c*] Nam neque Spartanorum, aut Athenienſium institutorum variatio ex Licurgi, aut Solonis auctoritate; sed ex populorum comprobatione sustinebatur. Et adfert item, [*d*] ideo Cæsari post devictum Pompejum summa omnia munera fuisse decreta, ut iis decernendis, auctoritatem eorum conferendorum populus Romanus retineret, atque ex nativa potestate sua tribueret, quod præ se sibi Cæsar arripuisset. Hinc a Tiberii tempore magistratus creabantur suffragiis Senatorum convenientium in Curiam, quo Princeps mittebat candidatos: quorum aliquot omnium suffragia laturos Senatui commendabat, alios studiis fautoribusque suis, & sorti tradebat, ut refert Dion [*e*] Ex quibus qui impetrassent, ne populus a Comitiis omnino videretur exclusus, in publicum a suis deducti necessariis prodeuntes, ad imaginem vetustatis renunciabantur. Unde tradit Svetonius in *Domitiano*: [*f*] *Domitianum Comitiorum consularium die destinatum perperam a præcone non Consulem ad populum, sed Imperatorem pronunciatum*. Quia in adumbratione veterum Comitiorum populus auctoritatem suam retinebat, ejusque jura his in imaginibus perinde in posterum vivebant, ac doctrinæ & res perpetuo vivunt in monumentis literarum. Nam; per figuram eam veterum Comitiorum, populus constantem sui juris conservandi voluntatem significabat, ut per suffragia Senatorum, & Principis, perque adhibitam speciem vetusti moris, ipse populus potestatem civilem sibi nunquam exutam fundere videretur in candidatos. Neque Dion [*g*] diversitatem ullam creationis Consulum, & magistratuum aliorum prodit: quia sermonem ille non de creatione magistratuum instituerat, sed de arbitrio, quo Tiberius, instituendo tempore Consulatuum, ac numero magistratuum aliorum, utebatur: Unde cum retulisset arbitrium illius super tempora Consulatuum; postea transit ad arbitrium ejusdem super aliorum numero magistratuum: quos, cum in Senatu creari scribat, non excludit Consules, de quibus supra memoraverat: eos enim tacite sub nomine magistratuum, qui in Senatu petebantur, meo judicio comprehendit: cum oratio sequens, quatenus pertinet ad Comitia, quæ agitabantur in Senatu, commode referatur etiam ad Consules in superiori orationis parte locatos. Dum enim Dion arbitrium Tiberii refert in Consulum tempore ac numero moderando, non ad creationem ordinariorum Consulum respectum habet; sed ad ordinationem suffectorum: quorum aliquando unum, aut binos, aut ternos cis

(*a*) *lib.* 1. *annal. pag.* 11.
(*b*) *lib.* 3. *hist. cap.* 91. *pag.* 42.
(*d*) Dion *lib.* 42. *p.* 194.
(*e*) *lib.* 85. *p.* 634.
(*f*) *cap.* 10. (*g*) *lib.* 58. *p.* 638.

cis ultrave duos menſes conſuetos arbitrio ſuo creabat, exemplo Julii Cæſaris, qui primus, teſte eodem Dione, [a] commentus eſt hujuſcemodi Conſules, ut eluderet poteſtatem ordinariorum, qui nomen anno dabant, & ſoli legitimam poteſtatem retinebant, utpote a Senatu manantem, ubi erant auſpicia, & auctoritas inſtituta more majorum; adeo ut in ſuffectos tantum tranſiret exercitium. Hinc inſignia conſularia, & ſcipiones eburnei, quæ ſymbolum erant, & argumentum Conſularis imperii, a Senatu tradebantur, perinde atque hodie a ſummis principibus tribuitur auctoramentum, quod barbari vocant inveſtituram. Quamobrem non dubitarim ex eodem Dione deducere communem Conſulum & magiſtratuum aliorum creationem: per commendationem ſcilicet, & ſuffragium Principis ac Senatorum, & deſignationem apud populum: ne Senatu, ac plebe prorſus excluſis, vitio creati Conſules haberentur, & religione vetarentur munus nefarie impetratum exercere. Unde, utcunque aliquid peculiare habuerint Comitia Conſularia quod nondum innoteſcat, omnino certe oportuit Principes non e potentia ſua militari proferre Conſulatum candidatis, ſed rite Senatus e legitima poteſtate, publicaque auctoritate, ſine qua non Conſules fuiſſent, ſed ſatellites tyrannorum. Et ſane ſi ſuo jure Princeps creabat Conſules, quid opus erat ejus teſtimonio ad futurorum Conſulum creationem? Atqui ex Spartiano [b] ſcimus, Didium Julianum Conſulatum ſibi meruiſſe teſtimonio Imperatoris. Teſtimonium vero Imperatoris, non apud Imperatorem ipſum proferendum fuit; ſed apud alium, qui auctoris loco aut judicis eſſet, nempe apud Senatum & populum; repugnat enim, eundem eſſe teſtem, qui & judex. Quam Tacitus [c] Conſulum creationem per Comitia ignorare non potuit; utcumque illam, quæ ſub Tiberio uſurparetur, obſcuram ſibi fateatur. Etenim præter Svetonii locum [d] ſuperius adductum, alium ejuſdem locum habemus in Vitellio, [e] quem Comitia Conſularia in decem ordinaſſe tradit annos. Quo in loco notandum, inter nefaria Vitellii a Svetonio poſitum fuiſſe, quod in decem annos Conſularia Comitia ordinaverit, & ſe perpetuum Conſulem ediderit. [f] Et in *Veſpaſiano* memorat [g] Comitia ſecundi Conſulatus, ut intelligamus, ſine Comitiis Imperatoris arbitrium ſatis non fuiſſe ad legitimum Conſulatum. Nec deſunt aliorum ſcriptorum teſtimonia de Comitiis Conſularibus. Nam apud Lampridium [h] invenimus in Conſulum creatione mentionem trinundinum: quæ vox eſt popularium Comitiorum. Et Vopiſcus [i] refert, *Tacitum impetrave fratri ſuo Conſulatum a Senatu non potuiſſe*. Quid autem oportebat a Senatu Conſulatum petere, ſi ab arbitrio pendebat Imperatoris? Aut quomodo Senatus negaſſet, ſi concedere jure ſuo nequiſſet? Neque obſcurum vetuſti moris in Comitiis Conſularibus veſtigium ſe nobis offert ex Plinii panegyrico. E quibus colligo, Imperatorem nominare conſueviſſe in Senatu, quos vellet Conſules; ſola vero Imperatoris appellatione Conſules non fuiſſe, ſed ex ſuffragiis Senatorum. Nam Lampridius, ut Alexandri reverentiam erga Senatum extollat, refert, eum Conſules, niſi ex ſententia Senatus, nunquam nominaſſe. Tandem dubitationem tollit omnem S. C. ſub Veſpaſiano conditum, quam legem Regiam appellant: ubi non excepto Conſulatu, decernitur eorum omnium candidatorum, extra ordinem rationem habendam, quos Princeps S. P. Q. R. commendaverit. Ex qua Caſaubonus [k] optime concludit, hac formula, imitatione C. Cæſaris, fuiſſe uſos ſequentes Principes, cum candidatos ſuos S. P. Q. R. commendarent: *commendo vobis illum & illum*. Majeſtatis porro ſummam etiam, exorto Imperio, in Senatu manſiſſe, hinc præ ceteris colligitur, quod Imperatores Senatui aſſurgerent; quod cum vel oblivione, vel faſtu Jul. Cæſar negleXiſſet, & Senatum ad ſe ſedentem venire ſuſtinuiſſet; in eam invidiæ flammam & arrogantiæ opinionem ſe conjecit; ut juſtam

(a) *lib.* 43. *pag.* 236. *vide eund. p.* 1. *pag.* 378. *lib.* 48.
(b) *in Julian. c.* 1.
(c) *lib.* 1. *annal. in fin.*
(d) *in Domit. cap.* 10.
(e) *cap.* 11.
(f) *in Vitell. cap.* 11.
(g) *cap.* 5.
(h) *in Alex. Severo cap.* 28.
(i) *in* Tacit. *cap.* 9.
(k) Sveton. *in Cæſ. c.* 41.

juſtam percuſſoribus ſuis cauſſam inſidiarum præbuerit, & excuſationem eis apud populum, eo Senatus contemtu, paraverit. [a] [*]

CAPUT XVI.

De judiciis publicis.

AB eo quoque, nempe Tiberii tempore, judicia illa omnia, quæ populi erant, præcipue perduellionis & majeſtatis; & quæcunque negotia provocationis jure ad populum ferrentur, devenerunt in Senatum, ſimul cum Comitiis popularibus, ubi antea tractabantur. Etenim Senatus & antea quidem, Polybio teſte, (b) judicia extraordinaria tenebat plurima; & poſtea ſub Imperatoribus in populi locum ſuccedens, cognitionem popularium quoque ſuſcepit negotiorum, quæ paſſim apud ſcriptores in Senatu agitata conperiuntur; præſertim apud Tacitum, [c] qui ſub Tiberio ſcribit: *publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur, dabaturque primoribus differere*. Cum autem inter Senatores, ut eorum unus, cognoſceret ac judicaret Imperator, qui etiam in omnibus judiciis calculum ſuum ferre poterat, quod, Dione, teſte, (d) Auguſto primum conceſſerat Senatus; & periculoſum eſſet ſolius præſidio legis diſcrepare a ſententia potentioris; judicia illa, quæ inſtituto Reip. liberis Senatorum ſententiis permittebantur, opinione militaris potentiæ plerumque trahebantur ad voluntatem ejus, qui legiones habebat in poteſtate, quique judicabat quidem æquo jure cum ceteris; metu vero tacite in animos immiſſo, ſententias corripiebat univerſorum. Quia vero, ut refert Svetonius, (e) Neronis tempore, atque a Probo etiam (f) conſtitutum fuit, ut ab omnibus judicibus ad Senatum appellaretur; evenit, ut Princeps judicans cum Senatoribus ipſius potentiam verentibus ejuſque ſententiam plerumque complectentibus, cauſarum fere omnium redderetur arbiter.

CAPUT XVII.

De Conſilio Imperatoris, ſive de Conſiſtorio.

ET quoniam, ſi res ad pauciores pervenerint, facilius deducuntur in poteſtatem unius, qui expeditius eſt aliquot ſuperare, quam omnes; Auguſtus etſi nihil ademerit Senatui, qui vetera & conſueta judicia ſub eo, aliiſque Principibus exercebat, & populorum legationes excipiebat, & Regibus reſponſa dabat; (g) ne tamen omnibus, ac minoribus etiam in negotiis conſulere atque induſtria ſua ducere Senatores cogeretur univerſos; & ſimul, ne præter jus faſque decernere videretur abſque auctoritate Senatus, ſine quo nihil erat legitimum; conſilium ſibi conſtituit ex duobus, vel altero Conſule, quando ipſe Conſulatum gereret; & ex magiſtratuum ſingulis, & ex primoribus Patrum XV. ſorte datis ad ſex menſes. Quo ſpectat illud Svetonii in Auguſto, (h) *ſibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret*. Quinto vero adminiſtrationis publicæ ſibi delatæ decennio, a Senatu petiit XX. Senatores annuos, quos ſibi adhibebat in conſilium, ut quod eo conferretur cum ceteris quoque Senatoribus conſultum, atque in commune decretum videretur cum uni-

(a) Dion *lib.* 44. *p.* 244.
(*) Fluctuat hoc capite Auctor, & modo Rempublicam, quæ fuerit popularis, in Rempublicam Optimatum verſam fuiſſe, ait, cujus militare caput fuerit Imperator, civile Conſul, corpus vero integrum Senatus; modo poteſtatem civilem nunquam populo ademtam putans, continuoque miſcens Senatus populique poteſtatem. Debebant tamen ſejungi, quos promiſcue accipit, & diſtingui quæſtio juris & facti. Majeſtatem populo diſerte adſcribit Ulpianus in L. 1. §. 1. *D. ad Leg. Jul. Mai.* idem & Senatus ſemper conjunguntur in lege Regia. Tiberius tamen, cum periculoſum videretur, populum amplius ad Comitia convocare, Senatum pro populo conſuli maluit, & quamvis jus priſtinum populo, Cajus, ut eſt apud Svetonium, reddere tentaſſet, tamen id paullo poſt ab ipſo, aut a ſucceſſoribus ejus omiſſum, Lipſius oſtendit. Sed Senatus quoque auctoritas ſæpe acciſa, quem in poteſtate facile habere poterat Princeps per rationes Conſiſtorii, de quo mox.
(b) *lib.* 6.
(c) *lib.* 4. *annal. c.* 6.
(d) *lib.* 51. *p.* 457. *lit. B.*
(e) *in vita* Neronis. *c.* 18.
(f) Vopiſcus *in* Probo *c.* 13.
(g) Dion *lib.* 53. *p.* 511.
(h) *cap.* 34.

universo Senatu: cujus integra potestas, ab ea sui corporis portione suo consensu in consilium Principis, una cum Consulibus, & Magistratibus coeunte præferebatur: cum ipse Augustus propter senectutem frequens in Senatu adesse nequiret. (*a*) Nec tamen satis erat e Senatoribus, atque ex Senatorum sententia Principem consilium sibi legisse, ut quod ibi statueretur tanquam legitimum, & e potestate publica profectum perpetuo permaneret: quia potestas publica & juris ratio, non in parte Senatus, neque in culmine ipsius, nempe in Imperatore, sed in universo coetu legitime coacto consistebat. Ideo Augustus decretis suis perpetuam firmitatem comparaturus impetravit, (*b*) ut generali S. C. potestas judicialis, & publica Senatus universi transferretur in consilium illud Principis: quod ab eo tempore S.C. condendi facultatem accepit, quam Princeps sibi apud populum tuebatur auctoritate Magistratuum eo convenientium qui potestatem suam in commune adducebant, suumque jus cum ceteris consiliariis & cum ipso Principe communicabant: atque huc revocanda sunt Pomponii verba in *l. 2. ff. de orig. juris* §. 2. *Constituto Principe datum ei jus esse, ut quod constituisset ratum esset*. Hoc enim de fonte, nempe de concessione Senatus jura sua Principi tribuentis, & e præsentia comprobantium Magistratuum, non e potestate ulla regia duxerunt Imperatores legitimam judiciorum & legum condendarum facultatem, e populo primum ad Senatum translatam, & e Senatu ad consilium Principis; posterioribus temporibus Consistorium appellatum; quod ubi Princeps esset, ibi consisterent Magistratus majores & primores Patrum, qui propterea, & Consistoriani comites vocabantur: inter quos, quia de publico privatoque jure statuebatur, adsumebantur & jurisperiti: qui propterea circa latus Principis agere a Papiniano (*c*) & ab Ulpiano (*d*) circa Principem occupari dicebantur. Quod consilium semel a Senatu Augusto traditum Tiberius & sequentes Principes valde retinere satagerunt; ne illo dimisso, legitimam amitterent auctoritatem. Imo illud secum perpetuo duxerunt, ut Senatum integrum, cujus potestas etiam Consistorio hærebat, apud se habere viderentur. Hinc Spartianus ait, (*e*) tempore Adriani jam transisse in morem, ut *cum Princeps causas cognosceret, & Senatores & equites Romanos in consilium vocaret, & sententiam ex omnium deliberatione proferret*. (*f*) Et rursus eundem Adrianum refert *causas Romæ, atque in provinciis frequenter audivisse, adhibitis consilio suo consulibus, atque Prætoribus, & optimis Magistratibus*. Idemque (*g*) scribit, adsciviisse sibi Adrianum in consilium JCtos: quos tamen Senatus probasset omnis. Alexandrum autem Severum, tradit Lampridius, (*h*) vocasse sibi in consilium ad septuaginta, quantum, ut ea forsan ætate inoleverat, S. C. condendo esset opus ad justum Senatorum numerum. (*i*) Cum autem Imperator perpetuo secum duceret jura Senatus, collata in se tanquam Senatorum uno & Senatus Principe, atque in Senatoribus aliis, inque Magistratibus, qui eum comitabantur, & eadem jura in universo Senatu integra manerent; evenit, ut Princeps cum suis consiliariis, atque Magistratibus; item & Senatus urbis universus publicam potestatem præ se in solidum exprimerent, quamvis divisis portionibus & personis & locis eam exercerent: perinde ac plures heredes, quorum singuli quidem certam hereditatis portionem certasque actiones sibi divisas, exercent, unusquisque tamen hereditatem universam & jus hereditarium omne in solidum sustinet. Siquidem tam hereditas, quam imperium inter incorporalia veniunt; & utraque in jure consistunt: ac sicuti de hereditate Papinianus ait, ita & Imperium etiam sine ullo corpore juris intellectum habet.

CAPUT XVIII.

De Communione Senatus & Principis.

UNDE Princeps cum comitatu suo eandem, ac parem, atque, ut cum vulgo

(*a*) Xiphilin. *in* August. *pag* 217.
(*b*) Dion *lib.* 56. *ann.* 766. *p.* 588. Zonar. *in Aug Tillem. t.* 1. *p.* 48.
(*c*) *l. jurisperitos ff. de excusat.*
(*d*) *l. verum* 11. §. *ex furto ff. de minor.*
(*e*) *in Adriano cap.* 8.
(*f*) *cap.* 22. *in Adrian.*
(*g*) *cap.* 18.
(*h*) *in Alexandro cap.* 15.
(*i*) Cujac. *in Novell.* 20.

vulgo Doctorum loquar, cumulativam (*) cum Senatu potestatem habebat: quia Consistorium Principis non jure, sed personis, locisque ab universo Senatu distinguebatur. Ideo appellationes, quæ perferrentur ad Principem & ad Senatum perveniisse putabantur. Nam regulariter neque a Senatu ad Principem provocatur. (*a*) Quamvis præter ordinem aliquando, turbato judiciorum jure, sub Cajo a Senatu ad Principem fuisse appellatum, observet Lipsius (*b*) ex Dione. (*c*) Quod oratione sua expressit Adrianus (*d*) sequentium forte Imperatorum ambitionem, aut licentiam; & assentationem repressurus eorum, qui a Principe ad Senatum per eam causam provocare tentarent, quod in Consistorium Cæsaris flos Senatorum & Magistratuum una cum ipso Principe conveniret. Ac ne quid discriminis inter Principis judicium quis & Senatus suspicetur, refert Tacitus, [e] sub ejusdem pecuniæ amittendæ periculo recipi provocationes ad Senatum, quo recipiebantur appellationes directæ ad Principem; ne temere, atque trahendæ sententiæ causa litigatores ad appellationis auxilium confugerent: scribit enim: *Auxitque Patrum honorem, statuendo, ut qui a privatis judicibus ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui Imperatorem appellavere*. Neque supremam, atque communem cum Imperatore Senatus auctoritatem depressit [**] Novella sua LXII. Justinianus: qua de Novella plurimi aut negligentiores aut crassiores colligunt, sententiam Senatus a Principis confirmatione indistincte pendere. Verbum etenim *confirmare* quod ibi legitur [Græ. co enim exemplo caremus] non semper *adprobare*, sed aliquando *simul firmare* significat, [*f*] hoc est, unius calculum calculis aliorum adjicere, qui si ab aliorum sententiis discrepet, non propterea judicium vacillabit, utcunque calculus ille ante dimissum judicum consilium sit expectandus. Quin neque hujus argumentum Novellæ ab his recte ac germano suo sensu proponitur: siquidem non de provocatione ad Senatum hic agitur, sed de provocatione ad ipsum Principem. Qui etiam in causis ad se adductis sententiam poscit Senatus universi, sententia Principis confirmandam, ut patet, additum potius, quam detractum fuisse hac Novella potestati Senatus: quem universum Justinianus consultum voluit, etiam cum ipse Princeps appellatur. Quam nobis interpretationem præstat auctoritate sua Cujacius, [g] qui constitutionem hanc accipit de appellantibus, non ad Senatum, sed ad ipsum Principem. Regna porro, quæ in orbe Romano sunt, & quidem civiliora, uti regnum Galliæ, sibi exemplum ceperunt a Romana Rep. quæ unice novit imperium cum libertate contexere. De qua Gallici Regiminis institutione, Regisque cum Senatu æqualitate, Cujacius ita testatur: [*h*] *Hodie moribus nostris dum appellatur ad Senatum, appellari videtur ad Principem*. Est enim Princeps ex Romanorum & regnorum

C ad

(*) Potestatem populi per Senatum cum Principe communicatam fuisse. Noodtius quoque docet *oratione de lege Regia & Observationum l. I. c.* 3. quamvis negari nequeat, sæpissime contigisse, ut Senatus auctoritas in solis se exsereret nominibus, titulis & insignibus. Civiles tamen Principes Senatus etiam fastigio sæpe studuerunt. Exemplum Hadriani a Senatu ad Principem appellari nolentis apud Auctorem est. Sed nec ad Senatum frequenter adeo appellatum fuit, posteaquam Præfecto Prætorio, Magistratui plane Imperatorio, datum est hoc privilegium, ut ab eo appellari non posset *L. un. §. 1. D. de offic. præf. Præt.*
(*a*) *l. 1. ff. a quibus appell. non licet.*
(*b*) *lib.* 14. *ann.* Tacit. *p.* 321.
(*c*) *lib.* 58.
(*d*) *l. 1. §. 1. ff. a quib. appell. non licet.*
(*e*) *lib. ann.* 14. *c.* 28.
(**) Si integræ frontis est Procopius *in arcana hist. c.* 14. Senatum omnimodo parvi fecit Justinianus, cujus verba in *Novell.* 62. *Ut ex divina sententia ejus Senatus calculus confirmetur*, interpretationem Auctoris & Cujacii admittere non videntur, etiamsi Senatus ibi vice Principis cognoscat. In Gallia quoque quantum mutata res ab iis temporibus, quibus Cujacius floruit, palam est, etsi vel sic verum sit, quando Senatus appellatur, Principem appellari, quia Senatus Principis nomine jus dicit. Ultimum jus, quod Senatus exercuit, fuit facultas Prætores tres constituendi, quæ ad tempora usque Leonis duravit, qui in *Novella sua* 47. id demum abrogavit & omnia penitus a Principis cura pendere voluit.
(*f*) *l.* 3. §. *ejusdem* 1. *ff. de testibus*, *ibi* alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem; *vide* Natal. *ab* Alexandro *histor. Eccles. Sec.* 4. *p.* 1. *fol.* 157. *ubi hæc adducit epistolæ Synodicæ Episcoporum Arianorum verba*. Num in Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum consilium ab orientalibus confirmatum est.
(*g*) *in Novell.* 62.
(*h*) *ead. Novell.* 62.

ad id exemplum conditorum moribus pars Senatus, qualem se profitetur Julianus: (*a*) & contra Senatus pars Principis, qualis agnoscitur ab Arcadio & Honorio [*b*] his verbis: *Senatorum etiam (nam & ipsi pars nostri corporis sunt.)* Ex quibus Cujacius colligit, [*c*] non oportere a Principe Senatus decreta confirmari. Cur? Num forte quia Princeps vocaverit Senatum in partem suæ civilis potestatis? minime: nullam enim jure suo Princeps habebat, sed jure magistratuum susceptorum, aut ipsius communione Senatus de quo velut ex fonte publici juris Imperator potestatem partim, oblata occasione, hauriebat, partim perenniter ducebat; ut ideo Princeps pars Senatus, & Senatus pars Principis censeantur, quod simul ex Senatoribus, & Principe Senatorum uno eorumque capite universus Senatus ejusque corpus componeretur integrum. Nam in Senatum præter cognatam veteremque majestatem a Tiberii ævo concesserat majestas etiam populi: quæ utrinque prodiens in persona Imperatoris per Tribunitiam potestatem & Senatorium principatum ita exprimebatur, ut derivaretur quidem in Cæsarem; ab radice tamen sua, nempe ab Senatu nunquam avelleretur.

CAPUT XIX.

De discrimine inter Imperium & Regnum.

ID enim interfuit P. R. Imperatorem creare, non Regem, quod Imperator deducitur; Rex vero abducit a populo susceptam sibi majestatem. Cum enim Rex creatur, [qualis creabatur apud barbaros, quorum vile servitium Romani aversabantur,] in eum omnis populi potestas, & voluntas publica recta confertur: est enim, uti Rex Persarum, αυτοκρατὶς καὶ ανυπεύθυνος, ut principem illum jus fasque quandoque perturbantem, vitamque aliorum & bona rapientem, si populus tollere conetur, cogatur civilem everstere statum, & publicam commutare voluntatem, novamque inde fundare Rempub. Quo ne cives adigerentur, si Rex Regni everteret leges publicas, eum, uti moris olim erat Persarum, jurare cogebant in leges; ut cujus potestas a populo coerceri amplius nequibat, sine Regni eversione, auctoritate jurisjurandi, atque ultione divina contineretur. [*d*] Quod & de Regibus nostratibus testatur Cujacius. [*e*] At Romanum Imperatorem sumentem sibi, minime vero absumentem S. P. Q. R. majestatem; si abuteretur Imperio, licebat semperque licuit, nisi violentia militari muniretur, nulla variatione status civilis, nullaque mutatione Reipub. vel Imperio exuere, vel vita. Qua toties auctoritate usum Senatum inferius prodemus e memoria rerum gestarum. Ideo Imperatore creando, eum ad jurandum in leges non adigebant, [*f*] quia publica potestate in populo & Senatu adhuc permanente, violentiam avertere licebat illius. Regnum nimirum Remp. totam exhaurit, & cum ea majestatem universam transfert in personam unius, aut successorum: quo vel solo, vel cum posteritate, si Regnum sit hereditarium, populi seditione sublato, solvitur potestas publica, quæ in eorum persona coaluerat; nisi civile regimen ex integro nova populi voluntate restituatur. Imperium contra est cumulus magistratuum e Republica penes Senatum populumque locata continenter in Principem confluentium; ut sublato Imperatore, vel Imperio, jura magistratuum eorum refluant ad Remp. neque Imperatore damnato a proprio statu discedentem, neque Imperio illo extraordinario evulso pereuntem, sed in Senatu & in ordinariis magistratibus perpetuo permanentem. Non bene igitur Dion assequebatur sensum dominatoris populi, quando mirabatur Populum Romanum, cum Regiam potestatem per tot magistratus Imperatori contulisset, exultare tamen quod Regem non ferret. Nimirum quamvis Senator esset Dion, græcissabat tamen, neque tam serio, ac populus Romanus, discrimen expendebat inter Regem & regia pote-

(*a*) *l.* 8. *C. de dignit.*
(*b*) *l. quisque ff. ad l. Jul. majest.*
(*c*) *dicta Novell.* 62.
(*d*) *vide* Grot. *de jur. belli & pacis lib.* 1. *c.* 3. *XVI.*
(*e*) *ad l.* 3. *enavr. C. de testam. & quemad. sest. ordinentur.*
(*f*) Cujac. *ad d. leg. ex* Plinii *Paneg.*

potestate præditum magistratum, sive civilem, quales erant Consules, qui cum regia etiam potestate creabantur, quippe qui & in Regum loco successerant. Unde sicuti Consules, ita & Imperator, pars erant Reipub. universæ: cujus sub potestate simul cum ceteris magistratibus continebantur. (*)

CAPUT XX.

De legislatione Senatus.

TRanslatis quoque Comitiis ad Patres, transiit in Senatum jus condendarum legum, quod fuerat penes populum universum: (*a*) quo in jure summa vertitur majestatis: quæ ob superiorem rationem, & discrimen Regnum inter & Imperium neque a Senatu abscessit, neque a populo, cujus imago a Senatu reddebatur. Nam, utcumque legislatio cum Principe ipsiusque Consistorio ex S. C. a nobis memorato communicaretur; tamen ob impressum in animis antiquæ Reip. studium atque religionem; Principum placita, quæ ab universi Senatus auctoritate procederent more majorum; legis quidem habebant vigorem, [*b*] ut Jurisconsultus docet, non tamen continuo ac statim, sed postquam tempore invaluissent atque inolevissent usu & consensu civitatis: qui & sententiis judicum tribuit juris auctoritatem. [*c*] Unde Cujacius [*d*] observavit, Paullum sæpe improbasse decreta Principum, scribens: *Nec decreta Principum jus faciunt, nisi quæ invaluerint. Nam quod cognoscens decrevit Princeps, scio legem esse, sed cum hoc modo; si invaluerint.* Macrinus autem Imperator, [*e*] qui peritus erat juris, rescripta omnia veterum Imperatorum tollere statuerat, quod non ab universa Republica scilicet, sed ab unius voluntate manarent. Volebat autem, ut jure, non rescriptis ageretur: *nefas esse*, dicens, *leges videri Commodi, & Caracallæ, & hominum imperitorum voluntates.* [**]

CAPUT XXI.

De Constitutionibus Principum.

COmmunicata nimirum populi, ac Senatus cum Principe, non vero in Principem translata universa potestate, leges a Principe latæ, sive constitutiones, non à Principe tanquam ex Regia persona prodibant, sed tanquam ab oraculo Reipublicæ atque ipsius voce Senatus, quem antequam quidquam in perpetuum, ac pro universali lege statueret, oratione consulebat, apud Patres habita, eadem ratione, qua populum universum rogabat laturus legem Tribunus plebis, cujus potestatem sibi adjunctam Principes roganda lege non apud populum, ut Tribunus exercebat, sed apud Patres, qui jura omnia populi, & Rempublicam retinebant universam. Cujusmodi constitutiones, quarum habemus plura vestigia in libris Pandectarum, [*f*] figura & more apud Senatum conditæ vetustatis imitatione migrabant in legem, sive in S. C. in quod populi juribus translatis ad Patres, transfusæ fuerunt vires legis: quæ antea Patrum auctoritate, ac populi suffragiis, magistratu rogante, condebantur.

(*) Sumit hoc loco Regis vocabulum Gravina pro Rege absoluto, cum tamen apud ipsos etiam Romanos hoc nomine Reges limitibus circumscripti venirent. Ecce enim primi Reges Romanorum, Romulus & reliqui, minime absoluti erant, sed leges ex voluntate populi ferre cogebantur. Confunduntur dein jura quoque regni hereditarii cum juribus regni absoluti, & minus recte procedunt binæ differentiæ, quas dein inter Regnum & Imperium constituit, nimirum primo, tyranno in regno sublato tolli formam Reipublicæ, non tolli, si tyrannus perimatur in Imperio, & tum Reges in leges jurare, non jurare Imperatorem, cum neutrum Regno aut Imperio proprium sit, & Regnum ab Imperio solo verborum sono distet.
(*a*) Sigon. *de judic. lib.* 2. *c.* 26. *in fin.*

(*b*) *l.* 1. *ff. de constit. princip.*
(*c*) *l. si de interpretat. ff. de legibus.*
(*d*) *lib.* 29. *qu.* Papin. *l. in ration.* 11. §. *quæstum ff. ad l. Falcid.*
(*e*) Capitolin. *in Macrin. cap.* 13.
(**) Legislatio quoque Senatus magis in speciem valebat quam re. Id enim agebant Principes, ut cum paucos facilius in potestate retinere possent, quam plures, populum per Senatum legibus obstringeret, unde Senatusconsulta ad Orationes Principum fiebant. Invalescentibus Constitutionibus Principum, Senatusconsulta quoque fieri desierunt, donec Leo in *Novella sua* 78. Senatui omnem penitus potestatem adimeret.
(*f*) L. *item veniunt* §. *pridie ff. de petit. hereditat. l. Oratione ff. de ritu nupt. & alibi.*

CAPUT XXII.

Juramenta in acta Principum.

NEc fugiebat Imperatores eorum placita, ſicut & alia, quæ non habebant jure magiſtratus, haud ſecum ab origine ſua ferre, ſed ab auctoritate Senatus perpetuam accipere firmitatem. Ideo ne vel auctoribus mortuis a Senatu abrogarentur, vel iis adhuc viventibus tantiſper ſuſpenderentur, donec S. C. accederet, in futura Principum acta, cenſente Senatu, [*a*] jurabatur. Quod a Triumvirorum tempore inolevit, qui & in actis Cæſaris interemti [*] jurarunt, & poſteritati tradiderunt, ut idem quoque juramentum præſtaretur omnibus a Republica non damnatis Imperatoribus. [*b*] Quod juramentum cum initio reſpuiſſet, Tiberius [*c*] poſtea ut acta ſua muniret, libenter a Senatoribus accepit univerſis: [*d*] adeo ut non ex Imperatorio jure, ſed ex voluntate Senatus, per jurisjurandi religionem continuata, Principum juſſa tranſierint in legitimam poteſtatem. Quod forſan latebat in animis eorum, quos amare carpit Juſtinianus, ſive ſub ejus perſona Tribonianus [*e*] indignatus, quod ſupremum in legum interpretatione judicium opinione ſua Imperatori adimerent, cui uni condendarum legum poteſtas permitteretur: quaſi ſapientes illi, qui ſenſus gerebant adhuc Græcanica in urbe Romanos, ſi animum libere promſiſſent ſuum dediſſent, Triboniano, quod ultro ſibi ſumit, ſupremum nempe jus legum condendarum ſolo in Imperatore conſtituiſſe, nec perenniter ad eum fluxiſſe a conſu atque communione Senatus.

(*a*) Tacit. *lib.* 1. *c.* 72.

[*] Unde patet, hoc jusjurandum primo tantum ad Acta Imperatorum defunctorum pertinuiſſe, donec etiam ad Acta futura porrigeretur. Nimium autem ſpatium inter tempora Tiberii & Juſtiniani intereſt, quam ut ab illis ad hæc argumentum ducere liceat. Juſtiniani enim ævo Imperium dudum potentiam Senatus Principum artibus labefactatam abſorpſerat, eademque tacito populi conſenſu in Principem tranſierat.

(*b*) Dion *lib.* 47. *p.* 337.
(*c*) Tacit. *lib.* 1. *cap.* 72.
(*d*) Dion *lib.* 48. *p.* 632.
(*e*) *L. uls. C. de legibus.*

(**) Mendacii abſolvi poterit Tribonianus, ſi animadvertamus, alios quoque auctores veteres ita, ut ipſe differit, locutos eſſe. Cæſari ſane omnia Divina ſimul atque humana Senatusconſulto decreta eſſe; Auguſtum autem morum legumque regimen perpetuum recepiſſe, Svetonius in vita eorum auctor eſt, quem cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium recepiſſe, Tacitus auctor eſt *Annal. lib.* 1. *cap.* 1. Veſpaſiano quoque in lege Regia poteſtatem dari videmus, ut quæcunque ex uſu Reipublicæ, majeſtate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum eſſe cenſuiſſet, ei agere jus poteſtaſque eſſet: Quia adulatus videtur, Præterii Senecam, qui de *clem. lib.* 1. *cap.* 8. *v.* 11. ad nutum Neronis nationes fuditus excidi, ait & ipſius arbitrio tribuit, quos transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi: quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur.

CAPUT XXIII.

De Lege Regia.

QUamobrem Tribonianus doctiſſimus una & mendaciſſimus, [**] ut aliquo colore ſuffunderet impudentiam adulationemque illam ſuam, qua Imperium Romanum in Regnum, invita Republica convertere conabatur, nactus occaſionem turbandi juris publici obruendæque antiquitatis ab emendatione juris privatorum, quorum in negotiis tota fere Tribonianea digeſtio verſatur, per commotionem, atque confuſionem illam, in quam adducere oportuit leges, antequam illius arbitrio reſtitutæ, aut interpolatæ populis redderentur; legem extulit neſcio quam Regiam, quaſi natam ex inſtitutis Romanorum, quibus antea vel ignorabatur prorſus, vel vera ſub ſpecie, nempe ſub facie veteris Reipublicæ atque ſub libertatis imagine offerebatur. Quod veluti ſalutare ſidus legentium aciem perſtricturum, & legislationis ſuæ præſidium, ac Principi novum imperandi jus comparaturum præfixit in veſtibulo librorum; ut amatores juris ipſomet initio hamum vorarent, veterumque Jurisconſultorum ita doctrinam haurirent, ut fraudem ſimul novorum legis latorum ad recentis Regni uſum imbiberent. Quamobrem ita loquitur ex perſona Juſtiniani: [*f*] *Cum enim lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus omniſq; poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſit poteſtatem;*

(*f*) *in præfat.* 1. *Digeſt.* §. 7.

tem; nos vero ſanctionem noſtram non dividimus in alias & alias conditorum partes, ſed totam noſtram eſſe volumus: quid poſſit antiquitas noſtris legibus abrogare? Quod reperitur in *C. l.* 1. *ff. eod.* §. 7. *de vet. jur. enucl. & Inſtit. de jure nat. gent.* §. 6. Cujus Regni novitatem Tribonianus, utcunque nullius frontis, tamen ita diſſimulare non audebat in recenti adhuc memoria vetuſtatis, ut eam lectoribus non reliquerit expoſitam, adjectis verbis [*a*] *in præſenti*: Ex qua diſcimus, antea tantæ ad poteſtatis faſtigium Principes minime aſcendiſſe. Adeo ut interpretibus, præſertim Accurſianis, & Bartolinis Romanam Rempubl. & Imperium extra Juſtinianeos Codices nunquam explorantibus luſus verborum videatur diſcrimen inter Regem & Imperatorem, quem illi non varietate juris, ſed amplitudine ditionis diſtinguunt a Regibus; quod ſcilicet Reges dominantur ſuis quiſque populis, Imperatores autem Romani orbis nationibus univerſi, quaſi P. R. ſub Imperatoris nomine ſibi Regem impoſuerit, quando ei & in eum per legem Regiam jus omne ſuum & poteſtatem contulit. Quem Tribonianus laqueum imperitis tendere potuit, non vero eruditis optime gnaris jurium populi apud quem a primæva uſque inſtitutione Reipublicæ ſi tribunitiæ ſeditiones civilia fœdera non turbarent, minime licebat ulla de re agere cum populo, niſi præiret S. C. & Patres auctores fierent. [*b*] Quomodo igitur tranſierit ad Principem populi poteſtas in condendis legibus, niſi conditione ſub eadem, qua erat apud populum, nempe ſi legibus condendis Senatus prævertiſſet auctoritas? Unde etiam ſi legem Regiam perfuſorie & ſine ullo examine accipiamus, & populi omne jus in Principem translatum demus; integram tamen legum condendarum auctoritatem in Senatu conſervabimus.

CAPUT XXIV.

De vero Legis Regiæ ſenſu.

VErum quoniam neque Cæſaris æmulatio cum Pompejo, neque perfidia Triumvirorum, neque violentia legionum, & inſolentia Prætorianorum cohortium, ſed unice abuſio pravaque intelligentia legis iſtius Regiæ Rempubl. perdidit, ideo revocabimus eam ad ſuam lucem, quam Tribonianus contra fidem monumentorum veterum obumbravit, viam inde Principi ſuo muniturus ad Regnum; & Imperio Romano generoſitatem ſuam æquitatemque priſtinam, & populorum benevolentiam cultumque reddemus, ademta invidia regiæ dominationis, a pulſis Tarquiniis ex urbe perpetuo exulantibus. Nemo profecto negaverit, Romanos in Græciam transductos cum cælo & animos una mutaſſe, fractoſque abjectione atque adulatione Græcorum, pertuliſſe nomina *υπάτων* & *βασιλέων ſupremorum* & *regum* pro *Conſulum* & *Imperatorum*; quibus lacerabantur aures animique Latinorum, a mutatione nominum mutationem rerum prudenter metuentium ac ſuſpicantium, ne cum regiis appellationibus regia dominatio in Imperium latenter ſerperet. Sicuti potiſſimum contigiſſe videmus S. C. quod Ulpiani tempore, [*c*] niſi quid nobis, Ulpiani nomine, Tribonianus obtrudit, legis Regiæ vocabulo vulgabatur, propter poteſtates Conſulares, Senatorias, & Populares, quæ Imperatori creato tribuebantur. Et quidem regiis inde facultatibus Imperator induebatur; ut propterea Senatuſconſultum illud legis viribus a Comitiorum translatione munitum Regia lex appellaretur: at Rex minime conſtituebatur, quia poteſtates illas Princeps non avellebat radicitus a Senatu, neque in ſuam ſolius perſonam transferebat; ſed cum eo habebat, veluti cum corpore univerſo, communes. Et tamen quia earum poteſtatum complexio legis Regiæ nomine ferebatur, facile Triboniano fuit, auctoritate legis & nominis illius, Regni opinionem Imperio comparare ab iis præſertim, ut diximus, qui non aliunde, quam a libris e Triboniana ſtrage ſuperſtitibus Reipublicæ Romanæ cognitionem & ſtudium antiquitatis exordiuntur.

Et tamen, quod miremur, quæ lex Triboniano murus eſt æneus, & cardo regiæ pote-

(*a*) *d. l. ult. C. de legibus.*
(*b*) Dionyſ. *loc. cit.* Livius *lib.* 1.

(*c*) *L. quod principi ff. de leg.*

poteſtatis, meminiſſe tantum ſatis habuit illius, particulam (*) vero inter leges poſteris tranſmittendam inſeruit nullam. Cur? niſi ut exaggeranda verbis ea lege, quam nobis una cum ceteris brevi morituris ſubtrahebat, ita involveret mentes hominum, ut plus juris in eam legem ex Triboniani teſtimonio conferrent opinione ſua, quam re ipſa contineretur. Quamobrem ii, qui S. C. illud, quod Legis Regiæ nomine vere profertur, vel ignorarunt, vel pro lege Regia non agnoverunt quia talem poteſtatem, qualem Tribonianus jactat, ibi non inveniebant; aut cum Cujacio in hanc etiam fraudem inducto natam contenderunt in urbe ſub priſcis Regibus, & poſt ad Cæſares revocatam, (a) quaſi regnum non Rempubl. a Rege, ut oſtendimus, adminiſtrandam Romulus inſtituiſſet; aut putarunt, Auguſto primum, & deinceps ceteris Regiam poteſtatem fuiſſe collatam per legem Regiam, cujus nomen tantum ad nos pervenerit: quaſi adeo fuerit excors & fraudum imperitus artifex Tribonianus, ut qui tot alias minoris momenti conſervarit, legem Principis ſui tutelarem perire ſiverit; vel [quod opinionem refellit utrorumque,] quaſi opus fuerit Imperatoribus ſingulis per ſuſcipiendos magiſtratus, perque tot ambages obrepere ad poteſtatem Regiam, ſi per publicam legem ad eam recta via tetendiſſent; ut neceſſe ſit, hunc errorem vel inter imperitos habitare, vel locum invenire tantum inter adulatores, qui etiam liberalia ſtudia, quibus excellunt, in ſervitutem ſecum trahere conſueverunt. Cum igitur legis Regiæ monumentum non interciderit, age videamus, qua fide Tribonianus eam Regno ſuo prætenderit, & qua calliditate homines ab inquiſitione atque lectione illius ad novam fabulam, nempe ad ſententiam, ab ſe inde mala fide collectam, atque ad poſteros fraudulenter tranſmiſſam averterit.

(*) Imo Juſtiniani ævo jam adeo auctum erat faſtigium Principatus, ut majeſtati Principis injuriosum videretur, repetere legem, qua olim poteſtas ejus accidebatur, tanta autem rerum ſimul veterum in Senatu & populo Romano ignorantia, ut nec ullius uſus eſſet, apponere particulam legis, uſu dudum abolitæ.

(a) Cujac. *Inſt. lib. 1. de jur. nat. gent. §.*

CONTEXTUS LEGIS REGIÆ.

FOEDUSVE. CUM. QUIBUS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO.

UTIQUE. EI. SENATUM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATUS. CONSULTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQUE. FACERE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO.

UTIQUE. CUM. EX. VOLUNTATE. AUCTORITATEVE. JUSSU. MANDATUVE. EJUS.

PRÆSENTEVE. EO. SENATUS. HABEBITUR. OMNIUM. RERUM. JUS. PERINDE. HABEATUR. SERVETUR. AC. SI. E LEGE. SENATUS. EDICTUS. ESSET. HABERETURQUE.

UTIQUE. QUOS. MAGISTRATUM POTESTATEM. IMPERIUM. CURATIONEMVE. CUJUS. REI. PETENTES. SENATUI. POPULOQUE. ROMANO. COMMENDAVERIT. QUIBUSQUE. SUFFRAGATIONEM. SUAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORUM. COMITIS. QUIBUSQUE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATUR,

UTIQUE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CUM. EX. REPUBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA UTI. LICUIT. TI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO,

UTI-

UTIQUE. QUÆCUNQUE. EX. USU. REIPUBLICÆ. MAJESTATE. DIVINARUM. HUMANARUM. PUBLICARUM. PRIVATARUMQUE. RERUM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE. JUS POTESTASQUE. SIT. ITA. UTI. DIVO. AUG. TIBERIOQUE. JULIO. CÆSARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO FUIT,

UTIQUE. QUIBUS. LEGIBUS. PLEBEIVE. SCITIS SCRIPTUM. FUIT. NE. DIVUS. AUG. TIBERIUSVE. JULIUS. CÆSAR. AUG. TIBERIUSQUE. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG. GERMANICUS. TENERENTUR. IIS. LEGIBUS. PLEBISQUE. SCITIS. IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. SOLUTUS. SIT. QUÆQUE. EX. QUAQUE. LEGE. ROGATIONE. DIVUM. AUG. TIBERIUMVE. JULIUM. CÆSAREM. AUG. TIBERIUMVE. CLAUDIUM. CÆSAREM. AUG. GERMANICUM. FACERE OPORTUIT. EA. OMNIA. IMP. CÆSARI. VESPASIANO. AUG. FACERE. LICEAT

UTIQUE. QUÆCUNQUE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CÆSARE. VESPASIANO. AUG. JUSSU. MANDATUVE. EJUS. A. QUOQUE. SUNT. EA. PERINDE. JUSSA. RATAQ. SINT. AC. SI. POPULI. PLEBISVE. JUSSU. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SI. QUIS. HUJUSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSUS. LECES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA. SENATUSVE. CONSULTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QUOD. EUM. EX. LEGE. ROGATIONEVE. PLEBISCITOVE. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HUJUS. LEGIS. ERGO ID. EI. NE. FRAUDI. ESTO. NEVE. QUIT. OB. EAM. REM. POPULO. DARE. DEBETO. NEVE. CUI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. JUDICATIO. ESTO. NEVE. QUIS. DE. EA. RE. APUD. SE. AGI. SINITO.

(a) Dion. *lib. 60. p. 667. idem lib. 63. p. 727.* Sveton. *in Nerone.* [b] Plutarch. *in vita Galb. p. 1055.*

CAPUT XXV.

Animadverſiones in Legem Regiam.

EN legem produximus, quæ ſupereſt, integram, & ſimul cum facultatibus auctores & modos earum conferendarum: Dic modo ſodes, quid in Imperatorem his verbis confertur, quod non a populo proficiſcatur, & ad eundem ſublato Imperatore non revocetur? An his collocatis poteſtatibus popularia jura exhaurirentur? An opus erat eaſdem facultates iterum tradere novis Cæſaribus per legis Regiæ repetitionem, ſi ea lege in perpetuum a populo ad ceteros creandos Principes abſceſſerant? Quid contuliſſet Tiberio, Claudio, Veſpaſiano populus, qui jam inde ab Auguſto jus omne ſuum in perpetuum exuiſſet? Cur porro Caligula & Nero hac in lege prætereuntur, quorum alterius acta Senatus reſciderat, (a) alterius memoriam uti hoſtis patriæ damnaverat quaſi minime compotes harum facultatum, ſi jure ſuo legitima juſſa juſtaſque leges ediderent? Nam Galbæ, Othonis, & Vitellii præteritionem nihil moror; qui ſeditionum inter fluctus brevi tempore de Imperio dimicarunt potius, quam imperarunt, & in ipſa Imperii contentione Imperium amiſerunt, e quibus etiam Galba fuerat a Senatu hoſtis judicatus. [b] Aut qui licuiſſet Senatui acta illorum reſcindere, quorum poteſtas non amplius manaret a S. P. Q. R. jure omni ſuo ſpoliato; ſed a lege Regia, quæ jus omne publicum per Auguſti perſonam ad ceteros tranſduxerat Imperatores? Quid? Firmitas actuum & ratio legitimæ poteſtatis peteretur ne a principibus de auctoritate populari, ſi populi majeſtas exaruiſſet? Nonne enim poſtremo hujus legis capite habemus, ideo juſſa, quæ ab Imperatore ante hoc S. C. edita erant, perpetuo conſiſtere, quia populus ipſe juſſerit ea juſta rataque eſſe; perinde ac ſi populi plebiſque juſſu acta eſſent? Quomodo convaleſcerent ſingulorum Principum acta ex poteſtate populari poſt novam ipſius populi volun-

voluntatem collectam; si jam Augustus creandique inde Principes, perinde ac futuri Reges, lege Regia omnem populo potestatem ac voluntatem eripuerunt? Tandem vel hanc habemus legem Regiam, vel aliam pleniorem. Si aliam: cedo: quam? Historicos & scriptores si excusserimus singulos, ne vestigium quidem, aut nomen invenerimus facti, quo nullum fuisset in omni Romanorum memoria memorabilius, Reipublicæ nimirum in Regnum non violenter & ad tempus, sed publica lege contra instituta majorum perpetuo transeuntis. Quorsum præterea oportebat Principem omnibus populi facultatibus indutum, eas iterum a populo facultates particulatim accipere: prout feciſſe hujus testimonio fragmenti palam evincitur? Quid rivos sectabatur, qui fontem ipsum jam absorbuerat? Aut quid opus erat Imperatoribus capessere Tribunitiam potestatem singulis annis; si cum populi majestate jam illa perierat, & multo amplius Princeps e regio jure, quam a Tribunatu ferebat? Quantula enim portio fuisset potestatis, & majestatis Regiæ Majestas Tribunorum, & interceśio, sive S. C. impedientium facultas, quæ ab eo magistratu præstabatur? Cur toties Consulatus suscipiebat Princeps, si plus regiæ potestatis ad eum lege Regia pervenerat, quam e Consulatu ipso adduceretur? Sin bona fide agere velimus, & sine fraudatione, atque cum eruditis plerisque hoc fragmentum unice pro Lege Regia recipiemus; non aliunde quam Regia de Lege argumentum trahemus illustrius ad regiam potestatem evertendam, & majestatem pristinam adhuc sub Imperio in Senatu, & populo continendam. Qua de potestate, ac majestate plures particulæ nominatim conferuntur in Imperatores singulos, eas nova lege suscepturos: quia neque cum Imperio militari commiscebantur, neque egrediebantur singulas Imperatorum personas: exemplo Imperii meri, quod cum lege detur, neque cum jurisdictione magistratus confunditur, neque a magistratibus illud accipientibus cum aliis communicatur. Quorum similia ex lege Regia contra regiam potestatem argumenta ducebat olim Nicolaus Laurentii F. Romani Tribunatus instaurator, qui prolato in concione fragmento isto, P. R. gloriam extollebat, atque clamabat: *En testimonium, ac monumentum juris vestri, Quirites, qui suæ Imperatoribus largitores estis potestatis.* [*a*] Quo ille aliisque argumentis e publico jure ac veterum auctoritate petitis, publice palamque contendebat, nunquam, ne suo quidem tempore, Imperium, utcunque ab exteris nationibus administratum, a populo Romano atque a Capitolio discessisse; cujus sententiæ socium habuit primum eruditionis latinæ reparatorem Franciscum Petrarcham, qui eam profitetur in epistola qua Romanum populum ad liberatorem suum e vinculis, quibus detinebatur, ope atque auctoritate publica, precibusque totius populi liberandum hortatur. [*b*] At quin [excipient aliqui] ea, quæ certa lege tribuuntur, etsi non veniant jure magistratus, [*c*] ad eosdem tamen, per se, magistratus transeunt, atque ipsa lege deferuntur sine nova populi voluntate: veluti datio tutoris non competit quidem Prætoribus jure magistratus, sed ex lege Attilia, (*d*) cum ante legem illam eo jure Prætores non potirentur; Et tamen ejus legis potestate jus dandorum tutorum, creatis omnibus Prætoribus, absque novis populi actibus accedebat. Quidni igitur & lex Regia semel lata potestatem, atque majestatem perpetuo detractam populo ad futuros Principes per se transmiserit universos? Hos quo a nobis amoveamus, satis erit rogare, ut oculis utantur, animadvertentes, non perpetuam hanc esse legem, qua jura ista Imperatoribus tribuuntur, sed temporariam, & temporarias ex ea procedere potestates, non Imperatorio muneri, sed certis propriisque Imperatorum nominibus, traditas, morte illorum ad venam earum populum redituras, novaque voluntate ipsius populi, novus ad Principes proferendas cum lege Attilia nullo tempore circumscripta Præ-

(*a*) *Vita Nicolai Laurentii F. populari ejus ævi lingua conscripta hæc habet:* Postea en quanta erat magnificentia Senatus (dixit) qui auctoritatem Imperio tribuebat. *Sequitur historicus;* Inde scriptum recitari jussi pactionum, & auctoritatis, quam populus Romanus Vespasiano Imperatori concedebat, *& deinceps pag.* 24.

(*b*) *in lib. epist. sine tit. epist.* 4.

(*c*) L. 1. *ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisd.*

(*d*) *Instit. de Attilian. tut.*

Prætores non propriis nominibus, sed appellatione magistratus ad jus dandorum tutorum perpetuo vocentur. An enim haberemus has facultates in Vespasiani persona, nova legislatione renovatas, si ab Augusti tempore ex perpetua potestate legis in ceteros transiissent Imperatores? quorum in singulorum personis, ne dum in Tiberio & Claudio in lege memoratis, idem decretum, nisi mersisset ætas, conditum tabulisque incisum inveniremus.

CAPUT XXVI.

Ad Legem quod Principi Pandectarum de Constitution. Principum.

NE vero plus minusve hoc e S. C. falsis interpretationibus eruatur, quam ibi continetur, illud brevi explicatione percurremus, exordientes a lege: *Quod Principi* 1. *ff. de constit. Princip.* Ait lex: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: cum lege Regia, quæ de Imperio Principis lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.* Ex hac regiæ potestatis assertores interpretationem petunt superioris S. C. cum potius illo ex S. C. Ulpiani sensum inde hanc in legem transductum expendere deberent. Siquidem Ulpianus, cui lex ista, nescio an bona fide, a Triboniano adscribitur, hic retulit nobis S.C. sententiam de legum latione non satis explicatam, neque plus diligenter, quam res ibi nata posceret; sed perfusorie, ac per verborum compendium, vocabulis nempe generalibus, & plenioribus, quæ solemus arripere, cum celeritati magis quam distinctioni studemus. Qualiter affectus Ulpianus facultatem legis condendæ collatam in Principem, expressit illis verbis *omne imperium & potestatem* legis nimirum condendæ, qui sensus supra descendens, [*] tacite in orationem reliquam penetravit. Nam Ulpianus familiarissimus Principis debuit ambitiosis, uberibusque vocabulis orna re atque sine modo ullo extollere potestatem illius. Nec tamen assentatione sua sustulerit, aut obruerit veritatem: nam optime illius oratio, & S. C. conveniunt: cum liceat, absque calumnia verborum, ita Ulpianum exponere: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, quia lege Regia, quæ de imperio Principis lata est sive S.C. quod fert legis Regiæ nomen, P.R. ei, & in eum* [qui pleonasmus est non inelegans] *contulit omne suum Imperium & potestatem, in legibus scilicet condendis.* [**] Quod additamentum, & relatio imperii & potestatis ad solam legum lationem, offertur ab ipso argumento hujus legis, quod ad se rapit sequentem orationem, quæ quamvis generaliter concepta sit, natura tamen sua contrahitur ad rem propositam, nempe ad legis condendæ facultatem: nam si potestatem infinitam Principis ex Ulpiani verbis colligamus, directo illum opponemus superiori S. C. sive ipsi Regiæ Legi, qua non infinita, sed certis modis, ac distinctis capitibus potestas Principi confertur, ne hic repetamus, quod supra ostendimus, opus minime futurum fuisse Imperatoribus tot magistratibus gerendis, si ex hoc Ulpiani loco evinceretur populi potestatem Principi fuisse non communicatam tantum, sed & universam in eum, exuto jam populo, translatam, ut contendunt Goveanus, [*a*] & illius auctoritate Coccejus, aliique, [*b*] qui ne otiosam sinant particulam illam legis *in eum*, existimant, Ulpianum per illa verba *ei contulit*, significasse voluntatem populi erga Principem; per additionem autem *in eum*, innuisse discessum universæ potestatis a populo ad Principem; in quo non cumulativam, sed etiam privatam, ut vulgo loquuntur, potestatem collocant: molem tantam in tam lubrico extruentes, orbemque Romanum una & jus omne publicum sursum, ac deorsum levissima conjectura vertentes. Qui si noluerunt illa verba *ei, & in eum* habere, ut a me habentur, pro concinna brevique repe-

(*) Seu finibus eorum, de quibus supra actum erat, circumscribendus.

(**) Quæ interpretatio commentitia videtur. Nam verba Ulpiani generaliter patent. Post tempora quoque Ulpiani lex Regia plenior lata esse potest, ad quam digitum intendat Ulpianus. Porro si Principi datum jus leges ferendi, data eidem quoque summa potestas. Nomen Legis Regio, quæ in Græco sermone jam utuntur Joannes Evang. *cap.* 19. *v.* 15. & Petrus 1. *Ep.* 1. *v.* 21. facile etiam apud Latine loquentes invalescere potuit tempore Ulpiani, cum Græcam urbem esse, jam Juvenalis quæratur.

(*a*) *variar. lect. lib.* 2. *cap.* 30.

(*b*) *ad leg. Princep. ff. de constit. Princip.*

repetitione se nsus ejusdem : quin amplectebantur expli cationem Cujacii [a] verba *in eum* confere ntis in ipsum Principem ; At quis [inquit Coccejus] quis unquam audivit a popu lo Principi potestatem in ipsum dari Principem ? imo vero recte & in ipsum . Siquidem potuisset populus ita tribuere Imperatori potestatem suam , ut Consuli vel magistratibus aliis tribuebat , qui populi judicio tenebantur : cui subjiciebatur etiam Dictator : nam & Papirium Cursorem , cum Dictator esset , provocationi ad populum cessisse legimus . Cæsari autem ita contulit , ut ei etiam remiserit potestatem , quam populus habebat in ipsum Cæsarem : per quam populi remissionem Principi diem apud populum dicere non licuisset , dum eum populus Principem esse pateretur . Quid præterea eos prohibuit Duareni explicationem [b] arripere , qui relativum accipit pro reciproco , ac docet , *eum* hic significasse *se* : quasi dixerit Ulpianus populum contulisse *ei* , sive Principi potestatem *in eum* , hoc est *in se* , nempe in ipsum populum , nedum potestatem , quam habebat populus in provincias . Sed non patitur Coccejus pronomen in eadem oratione varie acceptum , ut sit modo relativum in sua propria significatione , modo reciprocum : quasi non ita situm , itidemque etiam acceptum inveniatur in *lege quæ filium ult. ff. ut legat. sive fideicom.* illis verbis , referendis una hic & explicandis ; *fideique ejus* [nempe heredis] *commisit* [nempe testatrix] *ut quidquid ad eum* [hoc est heredem] *ex hereditate ejus* [hoc est sui testatricis .] En *ejus* eadem in oratione vice relativi fungitur , cum refertur ad heredem , & reciproci , cum refertur ad testatricem . Tandem quidvis aliud potius moliri oportebat Porsenas istos , qui Regem P. R. reddere conantur invito , quam ad hæc absurda ruere ; cum in monumentis veteribus invenientes Senatum supremam potestatem , ac summum Imperium exercentem , id non legitimæ S. P. Q. R. auctoritati adscribant , sed patientiæ Imperatoris tolerantis invasores suæ potestatis ; quasi lupus , qui petulantiam agnorum benigne tulerit .

Verum quid tantopere laboramus in lege incerti sensus incertæque auctoritatis : quam legem plurimi Ulpiano adfictam autumant a Triboniano , ut Regiæ potestati , quam Principi suo parturiebat , gravioris Jurisconsulti & longioris temporis fidem conciliaret ? Quid volutamus epitomen , aut perfusorie , aut mala fide concinnatam , si verba ista & germanus legis Regiæ contextus hoc S. C. nobis a Capitolino monumento proferuntur , cujus e sensu commenta & compendia quælibet explicare debemus ? Eo autem S. C. quid Cæsaribus tribuatur , jam supra satis demonstravimus ; reliquum est , ut obscuriora verborum illius illustremus . Ait lex :

TIBERIO JULIO CÆSARI AUGUSTO TIBERIOQUE CLAUDIO CÆSARI AUGUSTO GERMANICO .

Per *Tiberium Julium Cæsarem Augustum* significatur in lege Tiberius Nero Octaviani Augusti filius , Julii Cæsaris Dictatoris nepos qui post Octavium imperavit ; quique Julius quoque Cæsar appellabatur , ut observavit Gutherus ex fastis Capitolinis . (c) Omisso autem Caligula , tanquam hoste patriæ , damnatique nominis cive , (d) subjicit lex Claudium , quem Germanici cognomentum quod hic legitur , adsumsisse , memorat Svetonius . (e)

Item lex ait : UTI QUOS MAGISTRATUS , &c. En luculentissimum testimonium popularis potestatis sub Imperio adhuc vigentis , offerentisque se in creatione magistratuum : quibus tribuendis omnis legitima vis commendationis Imperatoriæ non ex Imperatorio jure manabat , sed ex isto capite , unde jus suum Principis commendatio trahebat . Quo capite per illa verba *extra ordinem* , permittit populus candidatis a Principe commendatis honorum petitionem , etiamsi lege vetentur contendere ad honores , puta , quod justa ætate careant , aut justum intervallum inter unam alteramque petitionem non excurrerit , aut præsentes Romæ non profiterentur . (f) Nam neque absentium , neque superiorum , quos memoravimus , habenda ratio erat per leges publicas , quarum venia iis , quos

(a) *observat.* 15. *cap.* 30.
(b) *lib.* 2. *disp. cap.* 19.
(c) Coccej. *ad l.* 1. *ff. de const. Princ.* Guther. *de offic. domus Augusti. lib.* 1. *cap.* 31.
(d) Dion *lib.* 60. *pag.* 667.
(e) *in Claud. lib.* 3. *cap.* 2.
(f) *lex agrar.* Rull. *apud* Sigon. *de leg. curiat. p.* 19.

quos Princeps commendaverit , vel quibus honores promiserit , conceditur a populo : cujus neque hac in re , neque in aliis capitibus , quibus alias facultates concedit , ullæ fuissent partes , si condendo Imperio , regnorum instituendorum ritu , potestatem & majestatem sibi abdicasset , eamque universam in munus Imperatorium contulisset . Ad magistratus autem , Principis commendatione , cum ætatis venia creatos , referendus est Ulpiani locus , (a) cujus hæc sunt verba : *Princeps enim , qui magistratum dedit , omnia gerere decrevit* ; Dedisse dicitur Princeps magistratus , quos candidati minores XXV. annis , de quibus hic agit Ulpianus , a populo , Principis commendatione , per hoc legis Regiæ caput impetraverit .

Pergit lex : UTIQUE QUIBUS LEGIBUS PLEBEIVE SCITIS .

CAPUT XXVII.

An Princeps solutus Legibus intelligatur ?

HOc privilegium Augusto tributum Dion refert , (b) ac sensum simul explicat illius , docetque , Imperatores eo liberari a necessitate legum τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης sive a pœnis , quibus lex , nempe communis voluntas , transit in necessitatem , ne scilicet cum deliquerit Princeps , puniatur , ut Græci legum doctores interpretantur ἢν μὲν ἁμαρτήσας ᾖ κολάζεται ; cum haudquaquam eximatur Princeps a vinculis honestatis , quæ leges perpetuo comitatur , quæque tantam a natura ducit auctoritatem , ut Imperatores (c) pronunciaverint , *majus Imperio esse submittere legibus principatum* ; & Alexander (d) sanctissime scripserit , *nihil tam proprium Imperii esse , quam legibus vivere* ; *utcunque lex Imperii* , qua S. C. hoc meo & plurium judicio indicatur *solemnibus juris Imperatorem solverit* . Unde neque a communi gentium fœdere , neque a nexibus humanæ societatis eximitur Princeps , neque legibus illis , quibus susceptum a se regimen incumbit . Imperantium , siquidem nulli licuerit , perfractis publicis legibus evertere id , cujus causa imperat . Omni enim privilegio statim excidet , quisque accepta potestate abutatur contra Rempublicam , quæ communis salutis communisque honoris causa Principem peperit & honoravit : exheredationem namque meretur , qui suis filiorum parentem oppresserit . Quod nobis suggerunt Severus & Antoninus , (e) cum fatentur , se quamvis legibus solutos , vivere tamen legibus , nempe causa legum : quarum tuendarum gratia vivit Imperator ; cum vocem legibus non sexto , sed tertio casu positam autumem ; præcipue , quia ex auctoritate legum Principum pendet auctoritas ; propter quam rationem Imperator se legibus alligatum profitetur . (f) Hoc autem capite , quo plurimum extollitur Imperator , minime tamen deprimitur , sed potius sustinetur auctoritas populi , tum quia populus , dum concedit , palam se fert publicæ potestatis auctorem ; ut privilegio Princeps jure fruatur , donec sibi per populum & Senatum gerere Remp. licuerit ; tum quia ex S. C. verbis non omnibus , sed certis legibus solvitur ; nempe iis , quibus condendis adjectum fuerat , ne Principes tenerentur : atque ita Dionis locum , ubi Princeps dicitur solutus legibus , Cujacius interpretatur , (g) nec enim vitiatur sensus orationis ; nam enunciatio hæc *solus est legibus* , illi etiam recte congruit , qui non omnibus , sed solemnibus juris , (h) uti sunt solemnia manumissionis , (i) & aliquibus legibus fuerit solutus : uti solutus erat Princeps lege Papia Poppæa , sive legibus conjugalibus & caducariis , quæ etiam per eminentiam appellabantur leges ; ad quas scripserat Ulpianus , cujus locum ad eas solas leges pertinentem , ut monet inscriptio leg. princeps ff. de legibus , Tribonianus ad leges protulit universas ; ut auctoritate Ulpiani Principem ab omnibus legibus solutum esse persuaderet illis , qui magis verbis ejus ducuntur , quam totius testimonio antiquitatis , cum qua consonat & ipsa Triboniani compositio legum : cujus pluribus ex locis suæ ille fraudis coarguitur . Nam non modo e Dione (k) discimus , Augustum supra justam portionem Liviæ relicturum

[a] *L. quidam* 57. §. *de re judic.*
(b) *lib* 53. *pag.* 509 & 516.
(c) *L. digna vox* 4. *C. de legib.*
(d) *L.* 3. *C. de testam. & quemadmod. test. aper.*
(e) *Instit. quib. mod. test. infir. & ult.*
(f) *d. l.* 4. *C. de legibus .*
(g) *obs.* 15. *cap.* 30.
(h) *L.* 3. *C. de testam.*
(i) *L. apud eum ff de manumiss.*
(k) *L.* 56. *p.* 590. Cujac. *obs.* 15. *cap.* 30.

turum, petiisse a Senatu veniam legis Voconiæ, quam certe veniam non petiissent, si leges omnes habebat in sua potestate, aut si earum potestate non habebatur; sed docemur etiam ex libris juris, teneri principes lege Falcidia & lege Glicia de inoff. testam. (a) & testamentariis pluribus (b) aliisque omnibus, in quibus nominatim non erat exceptum, ne tenerentur: ut ex legis Regiæ capite isto colligitur. Nam quamvis contemtarum legum Principes pœnam non subirent, nisi quando a Senatu capite damnati cum vita Imperium & privilegia ipsius amitterent; verecundia tamen dum imperarent & pudore obligabantur (c) & opinione civium tacito eos judicio plectentium: Paullo siquidem (d) judice, is, *qui leges facit, pari majestate legibus debet obtemperare*. Porro ut reliqua S. C. hujus expediamus, habere Senatum licebat magistratibus majoribus, ideoque etiam Prætoribus, si urbe aberant, qui majori cum imperio essent. Quod jus etiam Principi tribuitur, & tribuendum erat ex lege; cum non veniret a munere Imperatoris. Unde lege opus habuit, ut posset cogere Senatum, quando Consulatum non gereret. Senatusconsultum autem per discessionem fiebat, cum Senatores in sententiam alicujus non verbis, sed pedibus tacite conveniebant, discedentes a suo quisque loco ad eum, cujus sententiam probabant. (e) Quod item in hoc capite legitur *remittere Senatum*, significat rem in posterum diem Principis auctoritate differre. (f) Additur de proferendo pomœrio, quod non Cæsaribus tantum, sed omnibus iis concedebatur, qui fines Imperii Romani suis victoriis propagassent. (g) (*).

CAPUT XXVIII.

De auctoritate Senatus, & potestatis civilis in militarem ex jure Gentium.

SAtis adhuc ostendimus, potestatem civilem ad Imperatorem creatum non ab ipsa creatione manare, sed a S. P. Q. R. voluntate suam ei majestatem contribuentis, partim tradendis magistratibus, partim repetendis legis hujus Regiæ capitibus. Nunc duriora tentabimus, atque contendemus, ne quidem Imperium illud militare sola voluntate militum in Imperatoris persona constitisse sine S. C. quo totius Reipublicæ consensus proferebatur. Quod tam ex jure gentium, quam ex jure Romano comprobabimus. Siquidem jure gentium exercitus pars est civitatis, cui ministrat, cujusque potestate continetur; cum ad usum Reip. milites conscribantur, ducique ad Reip. conservationem aut propagationem creato committantur. Quamobrem non potest a corpore militari præferri jus universæ civitatis; nisi civitas ipsa se duci eorum tradiderit: nec milites civilem ullam particulam juris nanciscuntur, nisi civium numero censeantur: non raro enim ex exteris milites conducuntur, aut leguntur e sociis. Et qui cives militiæ nomina dederunt, publico civitatis jure seorsum a ceteris civibus, & procul a corpore universo minime potiuntur: cum non a suo singulorum jure, sed a communione totius corporis civilium rerum gerendarum potestatem cives accipiant: nec Resp. transeat in

(a) *L. 4. C. ad l. Falcid.* Papin. *l. Imperator ff. de inoffic. testam.* Cujac. *d. obs. 15. cap. 30. & lib. 16. cap. 35.*
(b) *L. 3. C. de testam. & quemadm.*
(c) *vide* Cujac. *enarr. C. l. 3. de testam. & quemad.*
(d) *lib. 4. sent.*
(e) Gell. *lib. 3. cap. 18.*
(f) Gell. *lib. 14. cap. 17.*
(g) Tacit. *lib. 12. hist. cap. 23.*
(*) Non potest de potestate Principis differi ut de ente metaphysico, semper invicem retinentibus Principe & Populo, mixtisque quæstionibus juris & facti. Ipsi Imperatores dum id agunt, ut soli præsint rerum summæ, populo sæpe specie & coloribus adscitiis illudunt, & eodem tempore legibus se solutos & alligatos profitentur. Ex quo rescriptis quoque & Decretis & Edictis Principum jus novum constitui cœpit, nemo dubitet, Principes supra leges fuisse. Quod de temporibus Justiniani multo magis verum est, qui non ipse tantum complurima constituit, sed & innumeris veterum Principum Rescriptis vim legis universalis dedit. Interpretatio Auctoris, qua vocem, legibus, in tertio casu accipit, nimis arguta videtur. Legem Gliciam jam supra e numero legum eliminavimus, etsi certum sit, teneri Principem querela inofficiosi testamenti *L. 8. §. 2. J. de inoffic. testam.* Quamvis autem leges ex sensu Paulli & Ulpiani ad solas leges Papias Poppæas referri debeant: minus tamen suscensendum est Triboniano, de Principe omnibus legibus soluto id affirmanti in dudum laxatis Imperii finibus.

in castra, sed hæreat, insideatque perpetuo in civitate, ubi radicibus suis, nempe legibus, institutis, & ritibus, continetur; Civitas autem vivit in corpore integro civium in suos ordines descriptorum, & ad exercitium publici juris rite convenientium. Ideo Antonius, ut edicto suo adversariorum auctoritatem everteret, exprobrabat Quiritibus; quod castra Pompeji Senatum appellarent. Quia igitur jus belli, quo ducis potissimum creatio continetur, manet in Republica simul cum ceteris juribus majestatis, quorum nihil a militibus in bellum abducitur, nisi quantum eis ab ipsa, cui militant, Rep. mandetur; absurdum fuerit militare Imperium consensu militum transire in aliquem sine auctoritate illius Reip. cui bellum geritur, & a qua cingulo induuntur; ne famuli jura usurpent sibi dominorum, neve pars a corpore avulsa munere fungatur totius corporis. Quamobrem jure gentium neque civilis, neque militaris rei tradendæ potestatem habent milites, sed exercitium tantum illius a Repub. mandatum: cum facultas ipsa rei militaris mandandæ portio sit ipsius civilis potestatis, minime cum corpore militari abeuntis, sed in Republica vel Regno perpetuo permanentis.

CAPUT XXIX.

De Auctoritate Senatus, & potestatis civilis in militarem ex jure Romano.

NUnc ex veteribus Romanorum institutis palam faciemus, militare Imperium nonnisi lege, vel S. C. mandari potuisse, adeo ut miles voluntatem tantum suam Imperatori tribuerit, Senatus vero & populus legitimam auctoritatem. Cum enim omnia instituta veterum publica, unde prodit ratio civilis, ita firmiter hæreant, ut rerum variatione difficulter convellantur, tum ea præcipue, quæ a religione in animos hominum demittuntur. Unde urbis parentes Romulus, Numa, Regesque alii, quorum prudentissima initia felicitatem peperere posterorum, ne leges & instituta; quibus futuram Imperii magnitudinem moliebantur, ullo unquam tempore dilaberentur; neve fundamenta Reip. abriperentur motu cursuque perpetuo ac vario rerum humanarum; ea ritibus implicuere sacris, & veteris illius superstitionis auctoritate ita munierunt; ut Remp. populus non tam a magistratibus, quam a commentitiis illis Numinibus, quibus virtutis eventus assignabantur sustineri, atque augeri existimaret: dum legibus jubendis, & creandis magistratibus, consilia, quæ caperet a propria prudentia, tribueret Diis; quos per augures de cœlo servantes, consulebant captis auspiciis, quibus veluti nunciis divinæ voluntatis res a populo gestæ comprobabantur: ut magistratibus, & legibus a Deo repetitis, cives non humana tantum, sed divina etiam & æterna ultione subjicerentur.

CAPUT XXX.

De auspiciis & lege curiata.

QUa de causa comitiis centuriatis, & curiatis, quibus leges ferebantur, & creabantur magistratus, quibusque Reipublicæ majora negotia tractabantur, ita jus auspiciorum attexuerunt, ut nihil apud Romanos justum haberetur, aut legitimum, nisi fuisset auspicatum; [a] & quidquid numine auspicioque careret, inauspicatum, sive injustum, nefasque diceretur. Quamobrem Cæsar, qui Rempublicam violenter occupaverat, ne religione amitteret, quod armis arripuerat, comitiis, & auspiciis utcunque simulatis, injustam sibi dominationem confirmabat: nam, sine illorum umbra, ne colorem quidem justi obineret Imperii, unde Lucanus [b].

Fingit solemnia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna,
Nec cœlum servare licet: tonat augure surdo,
Et lætæ jurantur aves bubone sinistro.

Non mandabatur igitur Imperium, nisi lege Curiata, quia curiatis comitiis, sive veris, sive per triginta lictores triginta Curias referentes, adumbratis, inerat jus auspiciorum, quibus creandus erat Imperator; nempe is, qui ductu auspicioque suo regere debebat exercitum & bellum administrare: [c] unde illo auspicato, comitiis

[a] Dionys. *libro primo pagina* 81. *numero* 35.
[b] *lib. 5. v. 392.* (c) Cic. *de orator. lib. 1.*

mitiis curiatis, auſpiciorum cauſa, retentis, creabatur, & ita creatus in Capitolio accipiebat auſpicia, ſub quibus milites duceret, (*a*) veluti Jovis Capitolini, & Martis Quirini miniſter. Nam, niſi ex urbe auſpicia duxiſſet in caſtra, nihil auſpicato gerere potuiſſet, ideoque inutilem poteſtatem inter milites jactaſſe.

Qui ritus auſpiciorum, auſpiciiſque nexa civilia inſtituta exorto Imperio minime interire potuerunt, quia ſimul cum imagine veteris Reipublicæ religionis nexu tenebantur. Quam religionem ſimulare ſaltem & adumbrare cogebatur quiſquis utcunque *impius dominator*: niſi convellenda religione ruere ipſe voluiſſet. Unde diu etiam poſt Chriſtianorum Imperium, ſimulacra veteris ſuperſtitionis, civilium inſtitutorum cauſa, permanſerunt. Cum autem Comitiorum omnium jus una cum jure auſpiciorum iis adjuncto tranſierit in Senatum; poteſtas legis curiatæ conceſſit in *S. C.* ſine quo nemo juſtus erat Imperator, quamvis a militibus appellatus; quia milites & poteſtate civili carebant; & jure auſpiciorum, quibus ſublatis, civilis aut militaris nulla conſiſtit auctoritas. Quæ auſpiciorum, publicæque auctoritatis religio, mandando Imperio, adeo inſidebat animis Romanorum; ut quamvis C. Marcius rem Romanam in Hiſpania, Scipionum clade prolapſam, inopinato reſtituerit; eum tamen a militibus ducem, ſine Senatus auctoritate creatum, nullo modo tulerint, indignantes, quod ſine auctoritate Patrum, ſe *Proprætorem* inſcripſerit, nulloque modo permittentes, ut *Proprætori* ei reſcriberetur. *Rem enim*, ut ſcribit Livius, (*b*) *mali exempli putabant, Imperatores legi ab exercitibus, & ſolemne auſpicatorum Comitiorum in caſtra, & provincias procul ab legibus magiſtratibuſque ad militarem temeritatem transferre*: prudenter prorſus, nam niſi Senatus auctoritas militem continuiſſet; ne coalescere quidem potuiſſet Reſpublica illa militaris, quæ, quo pluribus pollebat viribus, ad perdomandas nationes, eo validioribus nexibus indigebat ad coercendos, ac moderandos ex uſu Reip. nationum domitores: quos in poteſtate ſua nunquam habuiſſet, neque ab ipſius urbis direptione avertiſſet, ſi militum in voluntate jus Imperii condidiſſet, non in legibus publicis, ritibuſque ſacris; quorum auctoritate Imperium antea quidem a populo univerſo lege Curiata, (*c*) poſtea vero a Patribus ex S. C. mandabatur. Quamobrem in Senatu conditam auctoritatem omnem publicam, ibique ab initio a Romulo auſpicato conſtitutum profitetur Otho (*d*) apud Tacitum, his verbis:

Quid vos pulcherrimam hanc urbem domibus, & tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? Mutæ iſta & inanima intercidere, ac reparari promiſcue poſſunt, æternitas rerum, & pax gentium, & meæ cum veſtra ſalus, incolumitate Senatus firmatur. Hinc auſpicato a parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum, & a Regibus uſque ad Principes continuum & immortale, ſicut a majoribus accepimus, tradamus. (*)

CA-

(*a*) Livius *lib.* 4. Cic. *de leg. Agrar.* Sigon. *de leg. Curiat. cap.* 5.
(*b*) *lib.* 26. *cap.* 2.
(*c*) Sigon. *de lege Curiat. c.* 11. *l.* 1. *§. qui mandatam ff. de offi. ejus, cui mand. eſt jurisdict.*
(*d*) *lib.* 1. *p.* 447.
(*) Ultra progreſſus Auctor contenderat, Imperatoribus a ſolis militibus conferri non potuiſſe, primo, in capite viceſimo octavo, ex ratione juris gentium, quia milites ſint tantum pars Reipublicæ, iique proinde non poſſint perferre jus univerſæ civitatis, tum capite ſequenti, quia Romæ nominatim auctoritas legitima a Senatu & Populo tribui debuerit, militibus autem nihil niſi honos obſequii Senatui debiti relictus ſit. Subjicit hoc capite, id porro vel ideo non potuiſſe; quia Imperatoribus auſpiciis opus fuerit ad rite ſuſcipiendum Imperium, legitima autem auſpicia fieri nequierint niſi precedente Senatusconſulto. Sed ut jure gentium nihil impedit, quo minus ſumma poteſtas a potiſſima Reipublicæ parte deferatur, eamque partem conſtituant milites, ſic Romæ in rerum id uſu eveniebat, ut occupata Republica milites & in tuendo & in deferendo Imperio; auctoritate Senatui prævalerent. Argumentum, quod ab auſpiciis petitur, minus validum eſt, cum auſpicia præcedentibus Senatusconſultis adhibita fuiſſe & Auctor agnoſcat, & aliunde conſtet. Sed hæc Senatus auctoritas tum dicis cauſa adhibebatur. Illud ceterum memorabile, Conſtantinum interdicta, ſub pœna capitis, auſpicia privata, publica eam a Senatu & magiſtratibus exerceri ſiviſſe in *L.* 1. *C. Th. de malefic. & mathem.* quam præter Gothofredum illuſtrat Relandus in *Faſtis Conſularibus*, *p.* 309.

CAPUT XXXI.

Quale fuerit Imperium Cæſarum.

NOn enim aliam (*) tulit naturam Imperium Cæſarum ab Imperiis, quæ ante Cæſarum creationem, cum res poſceret extra ordinem, vel privato, vel magiſtratui decernerentur: quale fuit Imperium, quod a populo Auguſtus omnium Cæſarum auctor & parens, primo ad quinquennium, ne in ſuſcipionem Regni cum aliis triumviris veniret; (*a*) poſtea decimo quoque anno pacandis provinciis accipiebat, quodque per eandem cauſam ſibi tota vita continuatum patefecit poſteris: qui ne plus quam Auguſtus ſibi viderentur adrogare, retentis ludis decennalibus, Imperii repetitionem per temporum intervalla ſimulabant, ut ſupra ſignificavimus. Cujus Imperii exempla jamdiu ante Reſp. dederat plurima; tum in ipſius Octaviani perſona, quem utpote admodum adoleſcentem legibus a populo ſolutum Senatus, ex ſententia Ciceronis, Propratore miſit, & Imperatorem creavit adverſus Antonium; tum in perſona Cn. Pompeji ad bellum Senatorianum & Piraticum, & rei frumentariæ cauſa Proconſulis; (*b*) itemque Caji Cæſaris ad Gallicum, & P. Scipionis ad Hiſpanicum, & aliorum ſive magiſtratuum, ſive privatorum; quibus magiſtratus adjungebatur, quia Imperii jure poteſtatem tantum accipiebant in milites ſacramento ſibi obnoxios; (*c*) jure vero magiſtratus, & appellatione ſive Proconſulis, ſive Proprætoris poteſtatem accipiebant in ipſos provinciales & Provincias, per quas, aut in quas ducerent exercitus, ad militare Imperium facilius expediendum. Cum autem olim militaris, & Proconſularis Imperii tantum portio, æque ad tempus certis civibus mandaretur; Cæſaribus inſtitutis tribuebatur univerſa, & infinita per Imperatoris nomen & Imperium Proconſulare, quod ut ut recentioribus temporibus in Imperatorem, tacito populi conſenſu forſan tranſierit, quippe quia ſine illo minime poterant Imperatores explicare Imperium illud militare ac bellum ubique adminiſtrare, cogendis Provincialibus, conſcribendiſque militibus, & pecuniis ad ſtipendia imperandis; initio tamen non nominibus tantum, ſed etiam temporibus actibuſque diſtinguebatur, nec ſimul cum Imperio militari Proconſulare tradebatur; ne ſi confunderentur, obſoleſceret Senatus auctoritas: quæ binis defercndis Imperiis repetita, & multiplicandis actibus multiplicata crebrius emergebat. Quamobrem Dion (*d*) refert, eas poteſtates omnes, quas Imperatores accipiebant, quamvis ſuis temporibus conferrentur ſimul, tamen ſingulas antea certa lege fuiſſe mandatas: adeo ut prius quidem pluribus vicibus; poſtea vero ſemel Senatus efferretur auctoritas in poteſtatibus tribuendis, iiſque titulorum diverſitate ſecernendis, ne aut coiiſſe ſimul, aut tanquam civilia militaribus hæſiſſent, & magiſtratus cum Principatu coaluiſſent imperitis rerum civilium, quæ ſeorſum per ſe conſiſtebant, in Imperatorium titulum transfuſa viderentur.

CAPUT XXXII.

De Imperatorum creatione.

QUæ Imperatorum creatio etſi S. C. & Patrum auctoritate compleretur; apud hiſtoricos tamen haud raro invenitur tributa militibus; non quia jus aliquod ab eis conferretur, ſed quia Patrum auctoritas eo plerumque vertebatur, quo militum voluntas tenderet: adeo ut Imperatoris creatione milites voluntatem ſuam, vel appellando, vel purpura eum induendo ſignificarent; Patres vero, quem acclamatione ſua exercitus petebat, Imperatorem inſtituerent: quando potentiori exercitu, qui a Patribus ſtaret, militum votis repugnare nequirent, ut omnium Imperatorum creationem, cujus initium proceſſerit a militibus, ita debeamus acci-

(*) Imo, quis credat, Imperatorum, occupata Republica non aliam, quam libera ea fuiſſe poteſtatem, cum iis tot egregia jura ipſa lege Regia conceſſa, legamus. Porro quæ de ſingulis dignitatibus, Imperatoribus, ſingulis legibus Senatuſve conſultis delatis, dicuntur talia ſunt, ut ipſe Gravina agnoſcat, locum iis dari non poſſe, niſi in ſolis Imperii incunabulis.
(*a*) Dion *lib.* 48. *p.* 379.
(*b*) Dion *lib.* 39. *p.* 96.
(*c*) Sigon. *de lege Curiat. c.* 6.
(*d*) *lib.* 53. *pag.* 509.

accipere, quemadmodum Neronis creationem describit Tacitus (*a*) his verbis *Illatusque castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur, Sententiam militum secuta Patrum consulta.* Et quoniam vulgo, ac semper ad Imperatorem justum ac legitimum futurum accedebat S. C. propterea historici de more transeunt in medio posita, satisque habent voluntatem referre militum, neque Senatus operam fere commemorant, nisi quando novus Imperator initium & culmen sortis suæ a Patribus unice acciperet. Nam neque historicorum est adhibere cautiones Jurisconsultorum, neque si quis Catholicum Episcopum a Sacerdotum collegio creatum nostris temporibus referret, propterea Pontificis Romani auctoritatem, quam reticuisset, exclusisse censeretur; nam quid ineptius, quam quoties usuvenit id repetere, sine quo minime res gesta consisteret? Quid frigidius, quam illa inculcare, quæ propter eorum necessitatem, atque usum animis omnium præsumuntur? Hinc Tacitus, postquam Vespasianum ad Imperium sublatum ostendit, breviter adjicit: *Senatum ei cuncta Principibus solita decrevisse:* Facultates nempe istas, & munera civilia, & militaris imperii confirmationem, qua militum voluntas adprobabatur: ut palam ex hoc evincatur, eadem in singulis Imperatorum creationibus fuisse repetita; prætermissa vero esse tum ab eo, tum ab historicis aliis sæpe, quia vulgo paterent: nec nominatim Senatus partes fuisse commemorandas, nisi cum non auctoritatem tantum, sed & opem, consiliumque suum Patres præstitissent; aut appellati a militibus Imperatores non ante quod a militibus offerebatur accepissent, nisi postquam intellexissent Senatus voluntatem; cum aut contendere armis nequirent, aut legum auctoritatem violenter partam non minus turpem sibi, quam periculosam existimarent.

(*a*) *annal. lib.* 12. *cap.* 69.
(*b*) *lib.* 1. *hist.*
(*c*) Vopisc. *in Aurelian. c.* 40.
(*d*) Sveton. *in Galb. c.* 10.

CAPUT XXXIII.

De Senatus auctoritate in creatione Imperatoris.

QUa opinione qui pervolvet historias passim creandis Imperatoribus, intuebitur Senatus potestatem explicatam, non tantum per seriem priorum inde ab Augusto exorsam; sed etiam posteriorum, quorum creationem ad se milites traherere cœperunt, post detectum in legendo Galba illud, quod Tacitus appellat (*b*) *Imperii arcanum*; *posse Principem alibi quam Romæ fieri*: hoc est postquam agnoverat exercitus vires suas, atque comperierat, quem exercitus ducem legisset, ei Senatum oportere legitimam conferre potestatem; ni vane sperarent Patres jure se ac legibus potentiam & violentiam superaturos. Unde prudenter monuit Tacitus Imperator, non esse committendam injuriæ militum auctoritatem Senatus, ideoque militum ante judicium explorandum; aliquin, ut ille animadvertebat, nisi fieret a militibus, quod a patribus diceretur, & electi periculum fuisset, & eligentis invidia. (*c*)

Cum autem jus Imperatoris creandi esset unice penes Senatum; Galba, cui primo in provincia milites imperium obtulerunt; antequam a Senatu probaretur, legatum S. P. Q. R. se profitebatur, (*d*) neque Cæsaris appellationem suscepit, nisi postquam ex nunciis urbe cum S. C. missis omnes in verba sua juravisse cognovit. (*e*) Et Otho, Galba interemto, imperium quod violenter arripuerat, impetrare voluit a Senatu, a quo & sacramentum & Cæsaris atque Augusti appellationem accepit. [*f*] Item Vitellio refert Tacitus tributa omnia fuisse initio Principatus, quæ tempore intermisso aliis principibus, decernebantur. *In Senatu* (inquit) *cuncta longis aliorum principatibus composita, statim decernuntur.* (*g*) Verum neque Otho dignus est, unde proferatur exemplum, neque Vitellius, qui a militibus in Germania Imperator consalutatus, incerto jure fluctuans, Augusti nomen distulit, Cæsaris in perpetuum recusavit; (*a*) adeo ut seditionum potius tumultuarii duces hi fuerint, quam Imperatores P. R. Quamobrem trium horum principatum *Imperium incertum, & vagum* appellat Svetonius; (*b*) ideoque, ut supra indicavimus, lex Regia nomina eorum haudquaquam recepit. Quo unice argumento contra omnes vicerim sincerum illud ac germanum esse monumentum; tantum abest, ut inde ulla suspicio aut nota falsitatis oriatur. Vespasiani creationem S. C. munitam idem nobis monumentum fundando illius Imperio conditum offert, præter historicorum Taciti (*c*) & Svetonii (*d* testimonia. Titum vero & Domitianum filios in ipsa patris creatione jam Senatus Cæsares appellaverat: (*e*) quæ appellatio, ut mox ostendemus, pignus erat publicæ voluntatis, ac spes Imperii sponsioque illius, cujus fiebant compotes Augusto extincto, nisi expresse Senatus a pristina voluntate decessissent. Nam Cæsareum nomen primo hereditatem Julii Octaviano delatam significavit, postea designationem ad Imperium, ad cujus spem per eam appellationem vocabatur a Senatu Imperatoris naturalis filius, vel adoptivus; ut in Augusti familiam adscitus & patris potentiam nactus favorem prætorianorum, & paternam sibi factionem adjungeret; eaque via post patris mortem perveniret ad Imperium, & Impetraret Augusti nomen, quo plena & perfecta dignitas atque potestas Imperatoria exprimebatur, cum per Cæsaris nomen tantum exordium & spes adumbraretur illius. Quamobrem cœpit postea Cæsarum dignitas, ut pote Imperatoriæ familiæ nota, tribui ab ipsis Imperatoribus, quorum arbitrio deprimebatur, aut extollebatur potestas Cæsarum: qui sub patris tyrocinio in munere Imperatorio exercebantur, ejusque viribus ita munibantur, ut, Imperatore mortuo, cogeretur Senatus, aut civile bellum, aut imperium, sive nati, sive adoptivi subire Cæsaris. Porro Heliogabali tempore Cæsaris appellandi solius Senatus erat potestas: Lampridius enim (*f*) scribit, Heliogabalum, quem pœnituerat adoptasse Alexandrum, Senatui mandasse, ut Cæsaris nomen illi abrogaret.

Nervam, legionibus poscentibus, Patrum omnium plausu ad Imperium sublatum scimus. (*g*) In Trajanum a Nerva patre Imperii consortem adscitum, Senatus adoptione probata, & Cæsaris ei cognomento tributo, una cum populo universo consenserat, eo plausu atque utilitate orbis terrarum, ut si tot aliis nominibus nullis, tamen unice ob Imperium Trajano pariundum, Imperium Nerva meruisset. (*h*) Adrianus etsi statim a Trajani morte Imperium a militibus oblatum Antiochiæ in Syria susceptisset; continuo tamen illud a Senatu postulavit per literas, quibus veniam a patribus petens, excusavit militarem festinationem ac motus exercituum, quibus se ducem negare, salva Rep. minime quiverit. (*i*) Antonino Pio Senatus judicium suum jam ab eo usque tempore tribuerat, quo a patre Adriano adoptatus in curia Proconsulare Imperium, & Tribunitiam potestatem ex S. C. cum patre participavit: (*k*) quibus titulis tantum Imperatori congruentibus Imperator fuerat a Senatu designatus. M. Aurelius, qui adoptatus (*l*) & Cæsar appellatus, & in societatem Tribunitiæ potestatis adscitus ab Antonino Pio fuerat; post illius mortem a Senatu non probatus tantum, sed & coactus accepit imperium: utpote Platonis discipulus, nec verbo, sed re philosophus ad supremam potestatem, tanquam ad scopulum propriæ tranquillitatis votisque atque precibus populorum, non sua sed illorum causa unice accessurus. Is Imperator omnia philosophiæ præcepta, quæ propriis reddiderat exemplis, fœde conturbavit, extollendo filio suo Commodo gladiatore sceleſtissimo, quem adhuc puerum Cæsarem appellatum, & ante justam ætatem

(*e*) Dion *lib.* 63. *p.* 727. Plutarch. *in vita Galb. p.* 1055.
(*f*) Plutarch. *in vita Galbæ in fin.*
(*g*) *histor. lib.* 2. 55.

(*a*) Sveton. *in Vitell. cap.* 8. Plutarch. *in vita Galbæ* Tacit. *hist. c.* 62.
(*b*) *Init. vitæ Vespasian.*
[*c*] *lib.* 4. *hist. cap.* 3.
(*d*) *In Vespas.*
(*e*) Dion *lib.* 66. *p.* 744.
(*f*) *In vita Heliog. cap.* 13.

(*g*) Dion *lib.* 67. *pag.* 769. Aurel. Vict. *epit. in Nerva.*
(*h*) Dion *lib.* 69. *p.* 770. & 771. Plin. *in Paneg.*
[*i*] Dion *lib.* 69. *p.* 788. Spart. *in Adrian. c.* 6.
(*k*) Capitolin. *in vita Adrian. cap.* 4. Dion. *lib.* 69. *p.* 796. & *seq.*
(*l*) Capitolin. *in Antonin. cap.* 5. & 6. & 7.

um damno publico ſolutum legibus, ad ſummos magiſtratus erexit, indeque ad conſortium Tribunitiæ poteſtatis, ac denique ad ipſum Imperium, (*a*) non militum opera, ſed ſummarum opinione virtutum, quibus ſibi Marcus adeo Senatus, & populi animos obligaverat atque ſubegerat, ut facile illi fuerit, Senatu haud invito, Rempublicam imprudentiſſime filio tradere diripiendam.

Pertinax a Læto Præfecto Prætorio, & ab electo cubiculario deductus in caſtra, militum animos exploraturus, in Curiam inde conceſſit, non tam accepturus, quam recuſaturus Imperium; quod demum non auctoritate tantum, ſed precibus etiam Senatorum admiſit. (*b*) Adeo ut plurimi cum Patribus gratularentur, quod Pertinacis Imperio Commodianam factionem demum evaſiſſent, & Pertinax, apud Herodianum, (*c*) graviſſima oratione a Senatu habita, ei tantæ dignitatis faſtigium acceptum tulerit *πηνουνται παρ ὑμῶν τιμῆς obtigentis mihi a vobis honoris*. Didius Julianus partum pecunia Imperium, ne fruſtra emiſſet a Prætorianis, ut ſibi rectius conſuleret, auctores quæſivit idoneos, nempe Patres, quibus oratione in Senatu habita, Principatum debere voluit, ut ſcribit Spartianus in ejus vita (*d*) his verbis: *Veſpere in Senatum venit, totumque ſe Senatui permiſit; factoque S. C. Imperator eſt appellatus*.

Severum, quem cogente Juliano, prius hoſtem (*e*) judicaverunt, poſtea vero ejuſdem voluntate ad Imperii participationem vocaverant; eodem S. C. Patres Imperatorem appellaverunt, quo Didio Juliano, contra quem plurimi Severum occulte ſuſcitabant, vitam & Imperium ademerunt.

Caracalla parente vivo & Imperator deſignatus fuerat, (*f*) & Auguſtus appellatus, & jam ante ſimul cum patre Tribunitiam poteſtatem acceperat. Et quoniam alii primum Tribunitiæ illius poteſtatis annum teſtimonio hiſtoriarum exordiuntur a menſe Aprili A. a C. N. CXCVIII. alii auctoritate inſcriptionum a menſe Junio; ideo acutiſſimus Noriſius putat, modo initium fuiſſe ductum a tempore, quo ei Tribunitia poteſtas, patris voluntate, deſtinabatur; (**) modo a tempore legitimo, nempe a die, quo eam rite tulerat a Senatu, a quo die, qui conſultius loquuntur, tales poteſtates auſpicantur: (*g*) Siquidem Dion, (*h*) irrita ſignificat omnia Imperatoria cognomenta, quibus uſurpandis, aut a militibus accipiendis, Patrum decretum Principes antevertiſſent. Hinc ille annos, quibus Severus imperavit, a S. C. die numerat, non a tempore acclamationis militaris, (*i*) ut recte Tillemontius obſervavit. (*k*) Macrinus quamvis in magna rerum fluctuatione adminiſtrandum ſuſcepiſſet Imperium oblatum a militibus, quibus occiſo in caſtris Caracalla, Dux non ſine magno ab hoſtibus periculo defuerat; non eſt auſus tamen profiteri ſe Imperatorem, antequam literis ad Senatum miſſis, ſibi & Diadumeno filio a Senatu Imperium impetraſſet. (*l*) *Detulerunt* (ſcripſit ille iis in literis a Capitolino relatis) (*m*) *ad me Imperium* (ſcilicet milites) *cujus ego tutelam recepi: tenebo regimen ſi & vobis placuerit, quod militibus placuit*. Quamobrem ingenti gaudio Senatus ei Auguſti nomen & omnia Imperatoria jura decrevit. (*n*)

Heliogabalum fœdiſſimum illud, & vulgare ſcortum, qui nondum conſulto Senatu, ſola voluntate militum ſe Imperatorem & Auguſtum inſcripſerat, adeo indigne tulit S. P. Q. R. ut mortui memoriam ſtatim damnarit, (*o*) ac ſolo metu ad tempus eum agnoverit, quoad ab iiſdem tolleretur, per quos non legitima creatione,

(*a*) Capitolin *in Anton. c.16. & 17.* Lamprid. *in Commod. cap. 1. & 2.*
(*b*) Capitol. *in Pertinac. c.4. & 5.* Dion *lib.72. p.830.*
(*c*) *lib.2. cap.10.*
(*d*) *Capite tertio.* Dion *lib.73. pag. 836.*
(*e*) Spartian. *in Julian. c.5. & 6* Herodian. *lib.2. c.41.*
(*f*) Spartian. *in Sever. c.16.*
(**) Forſitan ei tanquam Cæſari hæc poteſtas delata & dein initio Imperii repetita eſt, ſic, ut alii annos Tribunitiæ poteſtatis a tempore, quo Cæſar dictus eſt, computaverint aliis annos ſubducentibus Imperii. Librum de *Tribunitia Imperatorum poteſtate bifariam dinumerata* meditatus eſt Nicolaus Toinardus, ſed qui lucem non vidit. Conferendi Valſechius in *diſſert. de Eliogabali Tr. por.* & Chriſtianus Gottlieb Schvvarzius de eodem argumento.
(*g*) Tillemontius *in Sever. nota* 19. & *articul.* 14.
(*h*) *Lib.79. pag.907.*
(*i*) Dion *libro ſeptuageſimo quarto pag.* 839.
(*k*) Tillemontius *in vita Sever. nota ſeptima.*
(*l*) Capitolin. *in vita Marcin. c.7.*
(*m*) *Cap.6.* & Herodian. *lib.5. c.2.*
(*n*) Herodian. *lib.5. p.161.*
(*o*) Lamprid. *in vita Alexand. c.7.*

tione, ſed rapina imperium occuparat. Unde Dion (*a*) pro novo illius ſcelere affert, quod cognomenta Imperatoria, contemto Senatu, & patriis inſtitutis, contra jus faſque præſumſiſſet. Quo unice loco proſtraverim omnes legum & antiquitatis imperitos, qui jus Imperatoris creandi a Senatu avertunt ad milites.

Alexander Severus Cæſar, Patrum decreto, dum Heliogabalus viveret, renunciatus, (*b*) & poſt illius mortem acclamatione militari deductus in Senatum; ibi cum Auguſti nomine novo exemplo eodem die Pontificatum Max. Tribunitiam poteſtatem, & Conſulare imperium ſe accepiſſe gloriatur, eoque nomine gratum ſe univerſo Senatorum ordini futurum profitetur.

Maximinus (*c*) parricida, cæſo Alexandro, primus a militaribus, abſque Senatus decreto, Auguſtus appellatus, etſi perfidioſe ac violenter arripuiſſet imperium; tamen ut indignum facinus, auctoritate legitima, prætexeret, per literas militum voluntatem ſignificavit Patribus, (*d*) qui metu perculſi, eam comprobarunt: (*e*) donec in libertatem redeuntes, ac ſpem ab Africano exercitu capientes, immanem illum Thracem hoſtem judicarunt, Imperium ab eo in Gordianum ſeniorem & filium, (*f*) quibus ſeſe Africanus exercitus tradiderat; iiſdem mortuis ad Maximum & Balbinum, indeque ad Gordianum alium juniorem transferentes, quem Balbino & Maximo vivente, Senatus Cæſarem appellaverat. (*g*)

Maximino ſceleratior ſicarius Philippus Arabs, qui fidei ſuæ traditum Gordianum imperio exuit & vita, (*h*) exercitibus ad ſe transductis, miſit ſtatim ad Senatum literas, quibus ut ab eo militaris acclamatio probaretur, Gordianum morbo periiſſe mentiebatur, cui mendacio Patres fidem habentes, aut habere ſimulantes, metu atrocioris facinoris, Auguſtos ei honores decreverunt. (*i*)

(*a*) *lib.79. p.907. & 909.*
(*b*) Herodian. *lib.5. cap.* 18. *vide* Lamprid. *in Heliogab.*
(*c*) Capitolin. *in Maximin. cap.* 8. Aurel. Vict. *in Maximin.*
(*d*) Zonar. *annal. tom.2. in Maximin.*
(*e*) Aurel. Vict. *in Maximin.*
(*f*) Capitolin. *in Maximin. cap.* 15. & *in* Gordian. *cap.* 10.
(*g*) Capitolin. *in Gordian* 3. *cap.*22.

A Philippo ad Valerianum plurimæ Cæſarum vitæ intercurrunt, quæ in Latinorum hiſtoria Auguſta deſiderantur, & aliis ex ſcriptoribus a Calaubono ſupplentur, (*k*) quorum aliquibus vix lambere contigit Auguſtam poteſtatem, vixque ſpatium patuit ad Patrum conſenſum impetrandum; aliquibus vero ſuorum factorum omnium teſtimonium deeſt hiſtoriarum; quarum lux non adeo tamen elanguit, ut per novem circiter annos illos, quibus imperium plurium Cæſarum varia fortuna fluctuavit, non emineat in Imperatorum creatione Senatus auctoritas, eaque ſine ulla miſſione acclamationis militaris: qua unice Senatui poteſtate a Zonara creatus fertur (*l*) Imperator Marcus, & Severus Hoſtilianus, quorum adhuc memoria ſolius Zonaræ beneficio vivit. Gallo item, & Hoſtiliano Perpennæ a Senatu delatum fuiſſe imperium, tradit Aurelius Victor. (*m*)

Decii adeo monumenta perierunt, ut potius impia ſua facta a ſacra, quam civilia ex profana hiſtoria prodantur. Unde non mirum, ſi tanta in imperii brevitate, ac tumultuatione Reipublicæ, quæ rite proceſſerint, lateant poſteris. Quantopere vero ei tribuerint PP. oſtenderunt, cum L. Priſcum ſub illo invadentem Imperium hoſtem pronunciarunt; (*n*) ut ei nullo modo Senatus auctoritas deeſſe potuerit. Neque Decius rerum humanarum peritiſſimus tot bellis implicatus deſeruiſſet provincias, & Romam ſeſe contuliſſet; niſi ſententiam Senatus impetraturus, commotaſque ſeditiones auctoritate Reipublicæ in ſuum imperium ſuæque ſobolis ſpem conſentientis compoſiturus.

Valerianum virtute ſimul & calamitate memorabilem, inſigni perfidia in Saporis Perſarum Regis poteſtatem deductum, non tam milites, quam conſenſus mortalium univerſorum, & omnium ordinum, & conſequenter Senatus potiſſimum

(*b*) Capitolin. *in Gordian. 3. cap.* 29. & 30. Aurel. Vict. *in Philipp.*
(*i*) Capitolin. *in Gordian. cap.*31.
(*k*) *In notis varior. ad ſcr. hiſt. Aug. poſt.* Gordian. 3.
(*l*) *Annal.* 3. *in* Gordian. 3.
(*m*) *de Cæſar. num.* 31. *item auctor hiſtoric. miſcell. hoc loco.*
(*n*) Aurel. Vict. *in Decio num.*25.

legerat Imperatorem; (*a*) cui suæ voluntatis et antea quidem pignus tradiderant Patres, suscitanda in illius persona censura jamdiu intermortua; (*b*) et postea fœnus persolverunt, cum Gallienum filium illius Cæsarem appellarunt, (*c*) patrique consortem Imperii dederunt (*d*) ut omnia eis contulisse Senatum satis liqueat, utcunque Valeriani tempora sint obscuriora.

Quid loquar de tumultuariis aliquot Imperatoribus, et Ducibus iis provincialium exercituum, qui sub Gallieno in commotione illa civili, suorum cujusque militum studiis ad se Imperium rapiebant? quibus uti plena vis ad superandum apud Senatum Gallieni potentiam, ita jus omne defuit ad imperandum; adeo ut a Scriptoribus XXX. tyrannorum numero habeantur, donec ad Claudium ventum est hujus nominis alterum, quem ante militum sententiam, communibus suffragiis Imperium suscepisse, tradit Zosimus, hisverbis:

Κλαύδιος τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν παραλαμβάνει, καὶ πρότερον τῆς κοινῆς ψήφου ταύτην δόξης ἐπᾶ. *Claudius summum Imperium occupavit sibi ante communibus concessum suffragiis.* Cum Zosimo non obscure convenit Trebellius Pollio, (*f*) a quo et Senatus universi plausus in illius Imperio comprobando referuntur. Quintilius illius frater Imperator a militibus, et a Senatu Augustus appellatus ab Eutropio, (*g*) et a Zonara traditur. (*h*)

Ab hoc paucis diebus ad Aurelianum commigravit Imperium, non consensu militum tantum, sed hominum universorum: ut cum Romam ille statim Imperator appellatus petierit, nullo modo ei deesse potuerint consueti honores a Senatu prodeuntes; nec necesse fuerit, ut anxie ab historicis memorarentur, propter electionem illius omnium concordia ordinum initam. (*i*)

Aureliano in necem Reipublicæ Mnestei liberti sui fraude interemto, (*k*) milites, qui tot sub eo victoriis claruerant, obsequio etiam erga Patres, et memorabili pudore, præquam antea, excelluerunt. Ultro enim sex mensium (*l*) illustri contentione ter Senatui remiserunt judicium de legendo Imperatore, quod Senatus permittere consueverat exercitibus, ut ejus libentius ducerentur auspiciis: cui se propria voluntate tradidissent. Nam Svetonius (*m*) refert sub Tiberio, militum aliquorum seditionem esse ortam, qui detrectarent Principem non ab se datum.

Post Aureliani porro interitum, tot a Romuli morte seculis, revixit inter milites antiqua illa modestia plebis, quæ Patribus Regis creationem, ab eis sibi concessam, reddiderat, (*n*) iidemque milites Senatus jus in edendo militiæ Principe, inque regendo orbe terrarum, pietate plenissimis literis, (*o*) ad Patres missis, testatum reliquerunt, quarum hæc verba descripsimus: *Hunc* (Aurelianum) *inter Deos referte Sancti & Domini P.C. & de vobis aliquem, sed dignum vestro judicio, Principem mittite.* Quamobrem Patres Tacitum primæ sententiæ Senatorem, (*p*) virum prisca integritate invitum et reluctantem, lubentibus et prudentibus legionibus obtulerunt: et cum Romæ, tum ad exteros populos, Patres publicis literis exultarunt, quod plenum et integrum creandi Principis arbitrium, potentia militari prius extenuatum, ad fontem suum, Taciti creatione, resluxerint: (*q*) ac patres redierint ad exercitium e us juris, quod semper habuerunt. *Gratias* (scribebat Senator Claudius) (*r*) *Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis, quam semper habuimus potestatem.*

Florianus Taciti frater, quia contra Romanorum instituta, mortuo fratre, Imperium præ se, tanquam hereditarium, sumserat, nunquam Cæsarum numero est habitus. (*s*) Quamobrem proximus a Tacito Probus occurrit, qui repentino motu a militibus

(*a*) *Veter. hist. fragm. inter hist. varior. apud* Trebell. Poll. *in vita Valer.* Zosimus.
(*b*) Trebell. Poll. *in vita Valer.*
(*c*) Eutrop. Aurel. Vict.
(*d*) Vict. *in Gallien.*
(*e*) Zosim. *lib.* 1.
(*f*) *In vita Claud.* (*g*) *Lib.* 9.
(*h*) *In Claud. tom.* 2.
(*i*) Zosimus *lib.* 1. Zonar. *in Aurelian.* Vopisc. *ibid.*
(*k*) Vopisc. *in Aurelian. cap.* 36.
(*l*) *Idem in princip. vit. Tacit.*
(*m*) *In Liber. lib.* 3. *cap.* 25.
(*n*) Livius.
(*o*) *Apud* Vopisc. *in Aurelian. cap.* 41.
(*p*) *Idem ibidem.*
(*q*) Vopisc. *in Florian.*
(*r*) *In epistola ejusdem apud* Vopisc. *in Florian. cap.* 6.
(*s*) Vopisc. *in Florian.* & Aurel. Vict.

Augustus appellatus, non ante tamen Imperium suscepit, quam illud a Patribus officiosissimis impetrasset literis, quibus ab eo Senatus pro arbitro, ac principe rerum humanarum agnoscitur, per hæc verba: [*a*) *Recte atque ordine P.C. proximo superiore anno factum est, ut vestra clementia orbi terrarum Principem daret, & quidem de vobis, qui & estis mundi Principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. Atque utinam id Florianus expectare voluisset nec velut hereditarium vindicasset Imperium, vel illum, vel alium quempiam majestas vestra fecisset. Nunc quoniam ille Imperium arripuit, nobis a militibus delatum est nomen Augustum, vindicatum, quin etiam in illum a prudentioribus militibus, quod fuerat usurpatum. Queso ut de meis meritis faciatis quidquid jusserit vestra clementia.*

CAPUT XXXIV.

De militum jure in creatione Imperatoris.

HActenus pervolvimus seriem Imperatorum, quorum vel omnis a Senatu creatio processerit, vel ab eo post militaria suffragia testimonio historicorum legitimam & civilem traxerit auctoritatem. Quæ auctoritas minime deesse potuit sequentibus creationibus: quantumvis a veteribus, suppressa mentione Senatus, militibus assignentur, idque non quia nullum S. C. eas comitaretur; sed quia tam certum erat & impetrabile, tamque necessarium & solemne, ut omnium opinione præsumeretur. Ab eo enim tempore, sicuti militaris potentia electionem omnem summi Ducis ad se trahebat; ita ne jus Patrum inerme cum armata violentia dimicaret, Senatus, qui nisi sponte cessisset ac libere, turpiter atque serviliter succubuisset, potestatem civilem nunquam negavit iis, quos potentia militaris ad Imperium extulerat: ut eis confirmandis auctoritatem retineret illam, quam eisdem rejiciendis prorsus amisisset. Quod unum post varia & exitia-

(*a*) Vopisc. *in Probo cap.* 11.
(*b*) Vict. *in Probo.*
(*c*) Tacit. *hist.* 2. *cap.* 52. (*) *in Probo.*
(*) Tunc pristino juri suo renunciasse Senatus, & summa Reipublicæ ad milites perveniisse videri poterat; post mortem Aureliani tamen odio præsentium, ut loquitur Vopiscus, judicium de novo Imperatore ad Senatum rediit, missis ab exercitu literis, quibus a Senatu petebant, ut ex ordine suo Principem eligerent. Sed sibi diffidens Senatus; probeque sciens, lectos a se Principes militibus non placere, rem aliquoties ad milites retulerat, a quibus Tacitus quoque, quem tandem Senatus legerat, sexto post mense interemtus est.

lia experimenta remedium invenerunt bellorum civilium, quibus sua cum clade Senatores implicabantur, ante Gallienum, qui primos eos prohibuit a castris: (*b*) quæ antea cum sequerentur (*c*) vitare nunquam poterant odia partium, si creando summo Duce, auctoritate sua studia dividentes, unam præ alia militarium factionum attollerent, eoque Senatum converterent universum, ancipitem diu futurum, dum de Imperio agitaretur, sub obnoxio ne sibi esset, an sub offenso Principe cadendum.

CAPUT XXXV.

De remotione Senatorum a militia.

QUAM fuisse causam putaverim, cur adeo patienter tulerint Patres ademtam sibi a Gallieno militiam, neque sategerint amplius repetere a militibus creandi Principis arbitrium sæpius præreptum, & aliquando Taciti, & Probi creatione sibi plenissime redditum. A quo tempore tradit Victor (*d*) ad ætatem usque suam, ita militarem potentiam convaluisse, ut Imperium Senatui, creandique jus Principis abstulerint, quiescentibus Senatoribus. (*) Quibus si spes prosperi successus affulsisset, nunquam defuisset animus repetendi juris sui.

CAPUT XXXVI.

De jure civitatis in exercitum.

QUOD utcunque a militibus interciperetur, ac turbaretur; nunquam tamen avellebatur a sede capiteque imperii Republica, quæ a Senatu præferebatur. Non enim Respublica exercitui, sed exercitus Reipublicæ ministrat; neque Respublica propter exercitum, sed exercitus propter Rempublicam instituitur: ut Plato docet in libro de regno, ubi cum omnes artes & facultates, tum præcipuæ militarem civilis potestatis ministerio addicit, his verbis;

&c.

Ξε. τὸν ἓν ποτε, καὶ ἐπιχειρήσομεν ἅπω δεινῆς, καὶ μεγάλης τέχνης ξυμπασης τῆς πολεμικῆς δεισιδαιμονίαν ἀποφαίνεσθαι, πλὴν γε δὴ τὴν ὅπως ἂν σαυ βασιλικὴν; Σω ἔδεμιαν ὅλην. Σε ἀκ ἄρα πολιτικὴν δήσομεν ὑπηρετικήν γε ἂν σαυ, τὴν τῶν στρατιωτῶν, ἐπισήμης. (*a*) Ideo perire Senatui nunquam poterat jus Imperii sive creandi, sive regendi, sine dissolutione civilis potestatis vivæ populi Romani perpetuo hærentis incumbentisque in immortali corpore, atque in urbe principe rerum humanarum, quæ jus æternum retinebat Imperii: ut in milites & Imperatores tantum exercitium transierit illius, ita futurum legitimum, si orbis terræ consilio & Senatus auctoritate comprobaretur. Etenim & ipsi milites, si quando non expectato decreto Senatus, summum sibi Ducem creassent; suum factum non jure, sed necessitate consueverant excusare, ut tradit Lamprid. in *Alex. cap.* 1. his verbis: *Milites jam consueverant sibi Imperatores, & tumultuario judicio facere, & item facile mutare, asserentes nonnunquam ad defensionem se idcirco fecisse, quod nescissent Senatum Principem appellasse.* En Igitur ipsi milites farentur in Imperatoris creatione potiores patrum, quam militum fuisse partes. Atque ideo cum Senatus Alexandrum Severum vellet imperare, omnia simul ei contulit imperatoria, ne si qui differrent, milites ignorantiam creationis simulantes, veluti negligente Senatu, & usu Reipubl. poscente, crearent alium. Ideo Claudius Capellianus apud Vopiscum ita restitutum Senatui jus a militibus gloriatur: *Nos* (nempe Senatores, ex quibus erat unus) *Nos Principes facimus, nostri ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.* Et paullo post: *Imperatores damus, Principes facimus; possumus & prohibere, qui cœpimus facere.*

Cum enim jura publici regiminis ipsius civitatis constitutione contineantur, & civitas versari nequeat in exercitu corpore vago & incerto, parteque illius ministro, quem unius diei clades ipso cum duce aliquando deleverit: ne nimis in lubrico salus publica versetur, & corpus civile periculis, vel injuriis militaribus objiciatur; lex ipsa naturæ, ac ratio conservationis humanæ, quæ civitatem, & militiam peperit, ad Senatum, & Rempublicam, perpetuo retrahit copiarum, & Imperatoris ipsius supremum regimen atque creationem: ut si vel Imperator cum exercitu ab hostibus profligetur; vel civitas ab Imperatore suo & violentia militari dissolvatur: emergat civilis potestas, exurgatque Senatus auctoritas, qua vel novus mittatur exercitus, vel Princeps perduellionis damnetur, & violentia militaris a Republica deflectatur, atque ita civitas vel hostibus, vel civilibus injuriis quassata reparetur. Ideo nemo Imperatorum negligere poterat S. C. nisi expresse tyrannidem profiteretur: cum enim jura civitatis non in exercitu, sed in Republica & Senatu conderentur, sine auctoritate Reipublicæ ac decreto Senatus non Imperator a militibus, sed tyrannus & hostis patriæ creabatur. Ideo variant scriptores in recensendis temporibus Imperii, aliqui annos numerent a creatione militari; alii vero, iique peritiores publici juris, a decreto Senatus, ut observat apud Svetonium Casaubonus. (*b*) Quamobrem apud Tacitum (*c*) Otho Imperator suum alterius Imperio præferebat, quod a se staret Senatus, cujus voce universa Respublica loqueretur, perque Patrum decretum legitimam conferret potestatem, ut patet ex his Othonis verbis: *Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc Respublica, inde hostes Reipublicæ constiterint.* Quod igitur ex naturæ, ac gentium legibus venit, ut juri publico sedes perpetua tradatur; ac majestas vel in una, vel in pluribus, sibi successuris familiis, per hereditarii regni constitutionem, aut si de aliis rebus publicis agatur, in certis ordinibus civium nunquam perituris, indeque certis eorum consiliis collocetur; id etiam procedit ex institutis Romanorum, qui militare quidem exercitum, quod potest absque interitu Reipublicæ decedere a persona morientis Principis, uni perpetuo tribuerunt, quem appellarunt Imperatorem; jus autem illius tribuendi ejusdemque moderandi, scatebramque majestatis, quam oportet esse perennem, non in brevi & ancipiti unius hominis vita, volucrique ac

(*a*) Plato *de regno pag.* 131. (*b*) *In Calig. cap.* 59.

(*c*) *Lib.* 1. *hist. cap.* 84.

ac lubrico rerum statu deposuerunt; sed retinuerunt apud certum & invariabile corpus, eamque cum æternitate, quam sibi despondebant Senatus & Respublica, contexuerunt: ut Romanus principatus Romanumque Imperium societas fuerit & communio majestatis illius quam continuam & nativam Senatus habebat. Unde non mirum, si etiam exorto Imperio, Senatus jure suo munera illa gereret omnia, quibus potiebatur, florente Republica, præter judiciorum popularium & comitiorum potestatem Tiberii tempore in se translatam; ceteraque communia cum Principe simul exerceret, & in Principem ipsum, si Rempublicam Senatui creditam eversum iret, capitis etiam supplicio animadverteret, adeoque Senatui publica potestas hærebat, ut quamvis eam Triumviri extorto quoque Senatus consensu arripuissent; tamen rebus ab se gestis, ut securitatem & firmitatem haberent, Senatus auctoritatem adjiciendam curarunt: ut refert Dion. (*a*)

CAPUT XXXVII.

De perpetua potestate Senatus in Imperatorem.

EX quo intelligimus jure publico Imperatorem fuisse in potestate Senatus utcunque violentia militaris, quæ nutu Principis regebatur Senatum plerumque ac Rempubl. universam libidini objiceret Imperatoris. Cui enim vel leviter historias pertractanti non se obtulerunt exempla damnatorum ex S.C. Principum?

Caligulam sane infamia notare decreverant Patres, ni Claudius, qui Tribunitia intercedendi potestate Cæsaribus consueta potiebatur; obstitisset, aut potius distulisset; siquidem infamem posteris fuisse Caji memoriam, tum ex lege Regia didicimus, tum ex Dione (*b*) cognoscimus, qui abfuisse refert Caji nomen a numero Imperatorum, quorum Senatus in juramentis & votis meminisse consueverat. Quin & ipse Claudius amovendas noctu ejus statuas, (*c*) & constitutiones ipsius abolendas curavit: Senatus nimirum voluntatem amplexus. Neronem, adhuc viventem, Senatus hostem patriæ judicavit, & latentem ad supplicium deposcebat, ut puniretur more majorum, nempe, ut detractis vestibus cervix ejus furcæ inlereretur, corpusque de saxo dejiciendum per urbem tractum ad necem cæderetur. (*d*) Galbam a Senatu, impellente Othone, hostem fuisse judicatum, supra ex Plutarcho docuimus, (*e*) ejusdemque memoriam Vespasiani tempore Senatu ad libertatem redeunte fuisse a Patribus, qui eum inviti damnaverant, restitutam, ex Tacito cognoscimus. (*f*) Othonis, & Vitellii nomen exulavit e corpore legis Regiæ per Senatum conditæ, cum neuter eorum, ut jam animadvertimus, inter Imperatores ibi descriptos inveniatur: ex quo intelligimus, Patres Othonem, ut Vitellio, Vitellium, ut Vespasiano blandirentur, hostem judicasse. Pari Domitianum ignominia Senatus affecit, cujus conjuratis occisi nomen ac memoriam damnavit, (*g*) imagines detrahi delerique, ac statuas ubique conquisitas fundi metallicas evertique marmoreas jussit: adeo ut nonnisi unam suo tempore Domitiani statuam extare Procopius tradat. (*h*) Avidium Cassium Senatus hostem appellavit. (*i*) Similibus pœnis in Commodum, a conjuratis item interfectum, Senatus animadvertit: qui proiiciendum etiam in Tyberim cadaver decreverat, (*k*) atque ubi a Pertinace Imperatore tum creato accepit jam esse conditum, ira exarsit adversus eum, qui hostem patriæ honore affeciffet, parumque abfuit, quin ex S. C. cadaver effoderetur. (*l*) Jam vero suo loco indicavimus, qua Senatus potestate fuerit usus adversus Julianum ac Severum: quorum hunc Juliani: illum Severi metu hostem judicavit, ut & Pescennium Nigrum, (*m*) & Albinum: (*n*) adeo ut nemo victorum, nisi auctoritate Senatus ageret, jure suum æmulum sustulisse ac tyranni notam effugisse videretur.

Cara-

(*a*) *Lib.* 8 *cap.* 377.
(*b*) Dion. *lib.* 60 *pag.* 667. (*c*) *idem ibid.*
(*d*) Eutrop & Sveton. *in Nerone cap.* 49.
(*e*) Plutarch. *in vit. Galb. p.* 1055.
(*f*) *Lib.* 4. *hist. cap.* 40.
(*g*) Svetonius *in Domit. cap.* 23.

(*h*) *hist. arcan. pag.* 37. *edit. Lugdunens. in fol. an.* 1623.
(*i*) Vulcat. Gall. *in Avid. Cass. capite* 7.
(*k*) Dion *lib.* 37. *pag.* 830. Herodian. *lib.* 1.
(*l*) Lamprid. *in vita Commod. in fine cap.* 18.
(*m*) Spartian. *in Sever. cap.* 9.
(*n*) Capitolin. *in Albin. cap.* 9.

Caracallam metum militum, quos liberalitate sua devinxerat, Senatus quidem hostem publicum non judicavit, sed indignis probris, ac fœdis execrationibus memoriam, & nomen laceravit illius: (*a*) cui ut honorem apud posteros detraheret: prohibitis Circensibus die natali suo institutis, argenteas illius omnes, aureasque statuas fundi jussit, ut illis liquescentibus, ejus, quem potissimum oderant, insigniora monumenta perirent. (*b*)

Cumque non jus, sed furor dominaretur militum, qui Macrino extincto impurissimum cinædum extulerant; inviti Senatores contra Macrini memoriam, auctoritatem suam direxerunt: (*c*) quam postea lubentes averterunt in Heliogabalum ab ipsis militibus fœdissime discerptum, & in Tyberim projectum: cujus flagitiosi adolescentis Senatores, sublato imperio fœminarum, quæ per eum dominabantur, inscriptiones omnes, abrogato etiam ei Antonini nomine, quod propudiosis factis polluerat, delendas decreverunt. (*d*)

Maximinum & viventem, & mortuum, Senatus adeo execrabatur, ut nunquam validius Patres potestatem suam expresserint, quam ejus tumultus tempore, quo adversus hostem patriæ, qualem eum judicaverant, quos supra memoravimus, crearunt Augustos.

Æmilianum, quem Senatus, forte superante legem, Augustum appellavit, jam antea, urgente Gallo, declaraverat hostem. (*e*)

Gallieni tempore, quamvis ejus socordia pluribus a ducibus sui cujusque exercitus acclamatione, Augusti nomen sibi trahentibus, dilaceraretur Imperium: tamen firmum in Gallieno, & in solidum constitit, quia Senatus auctoritate fundabatur. Et qui Augustam potestatem sibi solo militari suffragio carpserant, tyrannorum exitum, nomenque meruerunt.

Postquam vero Senatus a Gallieno, ut memoravimus, militia exclusus, auctoritatem suam comprobanda potius, quam tractanda Imperatoris creatione retinuit, commissamque sibi ex instituto Reipublicæ civilem potestatem flectere cogebatur ad voluntatem potentiorum; ut exordia, ita & exitus neglexit Imperatorum, quibus deinceps, neque attollendis, neque deprimendis admodum studuit, ne militaribus factionibus involveretur: præcipue post Carini mortem, a tempore Diocletiani, sub quo, succumbente viribus ratione, ad militiam omnia fluxerunt, adeo ut Senatus non duceret amplius, ut debebat, armatam potentiam, sed sequeretur: quia Imperatores, fractis viribus populi & civitatis, accitisque sibi commilitonum opibus, & facultatibus provincialium, nihili pendebant pro tyrannis haberi, dum tyrannide potirentur impune; neque admodum laborabant esse justi, dum injustitiæ periculum avertissent. Ideo Reipublicæ forma, quæ defluxerat e moribus, impressa mansit in legibus; & publica jura populi Romani latuerunt in ritibus, (*) & S. C. ex instituto prodeuntibus: quæ, quamvis ad voluntatem potentiorum conderentur: nativam tamen auctoritatem nunquam amiserunt: quia violentia non est causa efficax extinguendæ civilis facultatis, & permutandæ Reipublicæ. Quæ si suorum institutorum faciem pandat, in mutis quantumvis, & inertibus ritibus; justum semper, apertumque habet reditum ad pristinum usum, cujus jus, atque voluntatem nunquam dimisisse censetur. Titulos enim, ritus, & solemnitates conservandis a prava consuetudine juribus, conditores legum invenerunt. Quamobrem nunquam Senatui periit jus creandi regendique Imperatoris, quamvis illius juris exercitium non Patrum, sed militum a voluntate penderet. Quod ad ceteras Patrum, & populi facultates ac jura porrigitur, quæ nunquam interiisse putantur, quamvis non tam ex Senatus, quam ex Imperatoris arbitrio adhiberentur: & consequenter via semper Senatui patuit ad pristinam sui juris libertatem, sibi violenter diu ereptam. Quam ad libertatem jure suo rediit novo Imperatore creando, cum a Græcis Cæsaribus opprimeretur.

CA-

(*a*) Capitolin. *in Macrin. cap.* 2.
(*b*) Dion *lib.* 78. *pag.* 896.
(*c*) Lamprid. *in Heliogab. cap.* 3.
(*d*) Lamprid. *in Heliogab. cap.* 18.
(*e*) Aurel. Vict. in *Æmil.*
(*) Jam igitur hoc loco potestas Senatus omnis in ritibus posita est & Senatusconsultis. Rituum vero nil nisi vanæ in capiendis auspiciis cærimonia erat. Senatusconsulta autem etsi ea Gratiani aduc, Valentiniani & Theodosii temporibus in usu fuisse noverimus ex *L. un. C. de Senatusconsultis*, tamen ad nutum Imperantium facta, ipse Gravina agnoscit.

CAPUT XXXVIII.

De Reliquis Senatus juribus, & de Consulari potestate.

NUnc cetera jura Patribus ante, ac post exortum Imperium quæsita memoremus. Quæ quamvis turbata, & intercepta violenter, nunquam tamen intercidere potuerunt; quia, uti ante ostendimus, gentium lege, ac jure ipso humanæ societatis, publicoque instituto urbis Romæ, militaria civilibus addicuntur. Quibus expeditis progredimur inde ad consularem potestatem: in qua regia jura, quæ perpetua in uno fuerant, annuo tempore a duobus exercenda coaluerunt. Ex quo evincemus, potestatem summam civilem, qua jus regium continetur, in populo, Senatu, & Consulibus constitisse, perque munera illorum, variante Republica, permeasse; ad Imperatorem vero creatum tantum transisse in perpetuum jus militare civili obnoxium: [*] quod antea certis temporum, locorumque modis tradebatur, quamvis & postea Cæsaribus tribueretur in perpetuum, diuturnitas tamen addita imperio Cæsarum, naturam non mutavit illius, neque illud exemit a potestate civili: quia productio temporis vertere non potest rationem humanam, humanæque societatis variare legem; quæ propter publicam tranquillitatem, cui fruendæ civitas constituitur, militaria subjicit civilibus, ad quorum usum militaria comparantur. Quilibet enim auctor operi, quod suo usui peperit, jure naturæ dominatur. Auctor autem Imperii Senatus populusque fuit, qui & arma prius instituit ad usum civitatis, & armatis ducem perpetuum dedit ad tutelam urbis & provinciarum, atque non ad privatam ipsius Imperatoris dominationem, sed ad conservationem Romanæ Reipublicæ communionemque perpetuam generis humani: quam legibus & Senatusconsultis institutam, ac S. P. Q. R. auctoritate contractam, Imperator militari potentia tuebatur. Quam Senatus potestatem libro de *originibus* primo

Jani Gravinæ. Tom. II.

[*] Potius civile Imperium exspirasse penitus per derelictionem censendum est, postquam ad tuendum jus suum insumbere Senatus desiit, quod, ut præsumptio sapientiæ in amplissimo ordine suadet, non distinctius retulimus, & superius hoc eodem etiam libro innuimus. Unde ad hujusce operis continuationem atque ordinem, satis hic erit, redigere in memoriam Senatus majestatem, etsi varii populi motibus modo labentem, modo resurgentem; tamen ante Cæsarum creationem in eo constitisse, ut omnis publicorum proventuum administratio, negotiaque legationum, sive mittendarum ad exteros, sive ab exteris venientium recipiendarum, responsaque danda legatis, item & provinciarum distributio, earumque prorogatio, & rerum gestarum judicia, quibus facta militaria Consulum, & Imperatorum, eventusque prœliorum, aut extollebantur decretis, supplicationibus, orationibus, & triumphis, aut iis negatis extenuabantur, ad Senatus auctoritatem, tanquam ad communem publici judicii, civilisque sapientiæ, atque incorruptæ fidei fontem rite referantur. Quoniam autem Romanæ Reipublicæ institutis populus publicorum judicorum, belli, pacisque, legumque sive jubendarum, sive abrogandarum arbiter constituebatur; & imperante Tiberio, ut supra memoravimus, per translationem popularium comitiorum; jura omnia popularia transierunt ad Patres; evenit, ut ab eo tempore omnis administratio civilis, cui militaria subesse ostendimus, & consequenter omnis potestas regia, quæ olim in Senatum & populum tribuebatur, inter solos Patres, vocato tantum ad vetustatis imaginem populo, versaretur. Quam potestatem agnoscens infensus Galbæ Germanus Romanorum exercitus, recusavit adigi sacramento, nisi in nomen Senatus. (*a*)

Quæ omnia & antiqua & nova Senatus jura, Tiberius agnoscens, ita Patres apud Svetonium (*b*) alloquitur: *Dixi & nunc, & sæpe alias, P. C. bonum, & salutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera potestate ornastis.* (Enjus & creationem Principis penes Senatum) *Senatui servire debere; & universis civibus sæpe & plerumque etiam singulis: neque dixisse me pœnitet, & bonos, & æquos, & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Hinc Nero, ut aliquando non

F vi,

(*a*) Svetonius *in vita Galbæ cap.* 17.
[*b*] *cap.* 29. *in vita Tiber.*

vi, sed jure ageret, effigiem Cn. Domitio patri; consularia insignia Ascanio Labeoni tutori, olim suo a Senatu petiit. (*a*)

Neque nos, qui suscepto argumento urgemur, plenius partes Senatus in administranda Republica expresserimus, quam ex Tiberii sensu idem Svetonius, qui subjicit, Tiberium conservasse Senatus & magistratuum majestatem pristinam & potestatem; deque magnis una & parvis, privatorum & publicorum negotiorum ad Senatum retulisse, veluti de vectigalibus, & monopoliis, de operibus aut extruendis, aut reficiendis; de propagandis imperiis, mandandisque bellis extraordinariis; deque responsis ad Regum literas edendis. Et, quod magis miremur, etiam de iis, quorum curam in solum Principem lex militiæ transtulerat, Senatum decernere jubebat: Nempe de exauctorando milite; de legionum & auxiliorum descriptione: coegitque præfectum alæ de vi & rapinis reum in Senatu sententiam dicere; neque indigne tulit, ut quædam Senatus contra ejus sententiam statueret, increpuitque Consulares exercitibus præpositos, quod de rebus gestis Senatui non scriberent. [*b*] Imo interemto juvene Agrippa per Tribunum militum, qui Tiberii nomine missum se ferebat; Tiberius negavit, adjecitque redditurum eum Senatui rationem. (*c*) Publica judicia Senatus adeo erant propria, ut Domitianus [*d*] auctor fuerit Tribunis plebis, ut Ædilem sordidum, petitis a Senatu judicibus, accusarent: & ipse his supplicibus verbis, simul cum Patribus sententiam diceret, cum reo aliquam pœnæ remissionem precaretur: *Permittite, P. C. a pietate vestra impetrari, [quod scio me difficulter impetraturum] ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis vestris, & intelligent me omnes Senatui interfuisse.* [*e*] Imo multa, quæ Scriptores tribuunt Imperatoribus, ea tanquam suasoribus, non tanquam solis auctoribus unice assignantur. Quod colligitur ex eo, quod cum scribant Imperatores aliquos prohibuisse Senatorem occidi; tamen id non directo, sed per sententiam Senatus instituisse apparet ex Volcatio Gallicano in *vita Avidii Cassii capitul.* 8. his verbis: *Eo ipso tempore, quo rogavit* [nempe Senatum] *ne quis Senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur.* Quæ Romanorum instituta non jure, sed per violentiam abrumpebantur ab iis Cæsaribus, qui tandem proprio capite Reipublicæ, quam læserant, ulciscebantur injurias: & majestatem Senatus, quam fregerunt; morte sua restituebant: adeo ut qui vim a Republica vellent abstinere, & securitatem imperii sibi pararent; suscepta sibi militia, Rempubl, quod fecit, Plinio teste, (*f*) Trajanus, Senatui reliquerint administrandam: unde Adrianus integrum Senatui detulit judicium de Imperio sibi tradendo, quamvis a militibus oblato, ut supra tradidimus, execrabaturque Principes, qui Senatu minus quam ipse detulisset. [*g*] Supremam hanc etiam Senatus auctoritatem verebatur & Adrianus, quando, literis ad Senatum de Imperio suo scriptis, hæc expressit: *Vestrum est æstimare quid velitis: nam ego usque ad Senatus judicium incertus, & varius fluctuabo.* Cujus item Imperatoris, qui postea plures offenderat, acta, parum abfuit, quin Senatus abrogaret eo mortuo, eidemque Divi appellationem negaret; nisi precibus suis Patres flexisset Antoninus; ut intelligamus, Senatum fuisse fontem perennem publicæ potestatis. [*h*] Et Clodius Albinus delata sibi a Commodo imperatoria insignia cum Imperii participatione recusavit, quod id munus non a Senatu veniret Imperii auctore legitimo, unde his verbis concluſit suam ad milites concionem: *Quare, Commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint, ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, Senatus provincias dividat, Senatus nos Consules faciat, &c.* [*i*]

Item & Probus, cujus particulam orationis dudum retulimus: qui Patribus non modo Imperii sibi deferendi deliberationem tradidit; sed & jura omnia restituit, quæ aliquorum violentia Principum partim turbaverat, partim abstulerat: voluitque, ut ad Patres e summis quibusque judiciis appellaretur, & a Senatu Proconsules crearentur, ab eodemque legati Consulibus darentur, & Præsides cum prætoria potestate in Provincias mitterentur; [*a*] item ut quidquid Imperator decerneret, S.C. stabiliretur; [*b*] ita ut summam omnem ad Senatum, tanquam ad caput publici regiminis, ex naturalis & civilis juris norma retraxerit.

(*a*) Tacit. *annal. lib.* 13. *cap.* 10.
(*b*) Sveton. *in vita Galbæ cap.* 30.
(*c*) Sveton. *in Tiber cap.* 21.
(*d*) Sveton. *in vita Domit. cap.* 8.
(*e*) Sveton. *in Domit. cap.* 11.
(*f*) *cum in Paneg. quam lib* 8. *epist.* 14.
( ) Spartian. *in vita Adrian. cap.* 8.
(*b*) Spartian. *in Adrian. cap.* 27.
(*i*) *Cap. in Alv.* 13.

Hinc tota Jurisconsultorum ætate, quæ ad Constantinum usque pertinet, eodem loco Senatum haberi videmus, & Principem, a quo Paullus minime Patres distinguens, ait: [*c*] *Quod Principis aut Senatus jussu opus* [nempe publicum] *factum fuerit, in hoc judicium* [nempe aquæ pluviæ arcendæ] *non venit*. Hinc sub Imperio nihilo minus, quam antea censebat, sive pro summa potestate constituebat Senatus, [*d*] a quo propterea, ut alibi retulimus, non licebat appellare ad Principem, utpote Senatu minime majorem. [*e*] Propterea Claudius, ut initio principatus, lege, non vi agere videretur, neminem exulum, nisi ex Senatus auctoritate, reduxit: atque non ante Præfectum Prætorio, Tribunosque militum secum in curiam introduxit, quam veniam impetrasset a Senatu, a quo etiam res a suis procuratoribus judicatas comprobari voluit. [*f*] Commeatus præterea Senatus dare consueverat, quod ad se traxisse, sive beneficii sui fecisse Claudium, Svetonius refert, sed ex S.C. hanc ei potestatem accessisse, refert Dion. [*g*] Et statuas benemerentibus Imperatores a Senatu poscebant. [*b*] Quamobrem vetandi aquam ex flumine publico ducere jus est Senatui pariter atque Principi; (*i*) ut & relegandi, [*k*] & improbandi conditiones institutionum, [*l*] item famæ aliquem restituendi, criminum publicæ abolendorum; passim *tit. ad S.C. Tertull.* [*m*] heredis faciendi: quæ non magistratus potestas est, cum Prætor non heredem, sed bonorum tantum faciat possessorem; [*n*] sed ejus, qui potestatem habeat legis condendæ, qualis est Senatus, (*o*) & Princeps. Siquidem privatus non suo jure in testamento heredem facit, sed potestate accepta ex lege XII. tabul. ea, quæ voluit, ut quemadmodum paterfamil. de re sua legasset, ita jus esset. Senatus item potestas erat in publicis gratulationibus, reis vincula laxare, atque abolere crimina; [*p*] Civitatibus imponere cognomina, [*q*] indignis hereditatem auferre, [*r*] hostes judicare, (*s*) immunitates & privilegia concedere, (*t*) permittere petentibus in agro suo nundinas, (*u*) quas Claudius Imperator a Coss. impetraverat, (*x*) matrimoniorum veniam Senatus ipsi Augusto concedebat: unde Tacitus (*y*) refert, Senatum nuptiarum facultatem inter patruum & fratris filiam, nempe inter Claudium & Agrippinam, novo exemplo concessisse. Et hostis patriæ publicus insidiator, qui contra Principem conjurasset, a Senatu declarabatur: qualis per Senatum judicatus fuit Avidius Cassius, qui sub M. Antonio Imperium invaserat. (*z*)

Et mortuo violento dominatore, a Senatu acta omnia illius rescindebantur, statuæ evertebantur, memoriæ rerum ab eo gestarum irritabantur, ut post Commodi mortem evenit; cujus etiam nova mensium appellatio, Senatus auctoritate, cessavit,

(*a*) Vopisc. *in vita Probi c.* 13. *ubi* Salmas.
(*b*) Salmas. *ibid.*
(*c*) *L. quod Principis ff. de aqua & aqua pluvia arcenda.*
(*d*) *L.* 3. *C. qui manumitt. non poss. L.* 4. *ff. de accus. L.* 2. *in princ. ff. de heredit. petit. l.* 1. §. 1. *ff. de fugit. l.* 1. *C. de compens. L.* 64. *in princ. ff. eod. L.* 52. *in princ. ff. de donat. inter. viv. & uxor. L. unic.* §. 1. *ff. de libert. universf. l.* 7. §. 1. *ff. de oper. publ. l. unic. C. de Senatu, & l.* 8. *C. de leg.*
(*e*) *L.* 1. *ff. a quibus appell. non licet.*
(*f*) Sveton. *in Claud. cap.* 12.
(*g*) Sveton. *in Claud. cap.* 24. *ubi* Casaub.
(*b*) Capitolin. *in Marc. c.* 3.
(*i*) *L. quo minus* 2. *ff. de flum.*
[*k*] *L. relegatus c.* 4. §. 1. *ff. de interd. & releg.*
[*l*] *L. filius* 15. *ff. de condit. instit. l. captatorius* 70. *ff. de hered. instit.*
(*m*) *L.* 1. §. 10. *ff. de postulat.*
(*n*) *L.* 12. & 13. *ff. de bon. possess.*
(*o*) *L. non ambigitur ff. de leg.*
(*p*) *L. si servus* 2. *ff. de cust. reor.*
(*q*) Dion *lib.* 54. *p.* 537. *E.*
(*r*) *L. cum quidam* 12. *ff. de his, quib. ut ign.*
(*s*) *L. amissione* §. 1. *ff. de capit. deminut.*
(*t*) *L. non tantum* 17. §. 1. *ff. de excusas.*
(*u*) Plin. *lib.* 5. *epist.* 4. *ad Valer.*
(*x*) Briffon. *lib.* 1. *antiq. cap.* 13.
(*y*) *lib.* 12. *pag.* 242.
(*z*) Capitolin. *in Anton. cap.* 24.

prioribus nominibus restitutis. (*a*) Denique incedentibus per antiquitatem, nihil crebrius occurret, quam Senatus majestas circumfusa supremæ ac Regiæ potestatis exemplis ac juribus cum Principe quidem communibus; sed auctoritate præstantioribus. Nam Senatus eam potestatem nativam præferebat & e corpore suo perpetuo manantem; Princeps vero eandem habebat sibi a Senatu communicatam & translatitiam, uti Senatus portio ac majestatis summæ participatio. Quæ Principis potestas corruebat simul cum actis ejusdem, quandoque a Patribus rescindendis, ea sc. potestate abuteretur. Cui ne periculo Principum constitutiones paterent, orationes ab iis habitæ, sententiæque in Senatu dictæ S. C. confirmabantur, ut Jurisconsultorum monumenta testantur: apud quos S. C. & Principum orationes promiscue accipiuntur. (*b*) Quod rerum arbitrium ad Constantinum usque in Senatu mansisse inde liquet, quod Senatus Constantino primas imperandi partes, postposito Maximino, tribuerit. (*c*)

CAPUT XXXIX.

De falsa imperii translatione ad Græcos.

NEque Regiam Senatus Potestatem, postea Constantinus aut fregit, aut urbe avulsam Bizantium adportavit. Quinimo, longe aliter ac vulgo temere fertur, & pristina ille Senatus jura, Maxentii nimirum crudelitate turbata, Patribus reddidit, ut narrat nobis vetus orator, (*d*) & sedes Imperii, publicique juris auctoritas etiam discedente Constantino, Romæ permansit. (*) An enim commigrasset cum Imperatoris persona, si potestas civilis nunquam cum potestate militari ex Romanis institutis, nisi susceptis ad tempus magistratibus, confundebantur? Et Imperatori quidem fas erat se transferre quocumque bellorum necessitas, Imperii tutela, & locorum opportunitas traheret; haud vero jus esse poterat Imperium secum trajicere, aut movere rempublicam avertereque alio potestatem rerum humanarum, quam conditorum, & civium suorum sanguine ac virtute supra mille annorum spatium sibi Roma pepererat. Rempublicam nimirum Constantinus Imperio tenebat, non patrimonium aut familiam servorum; nec dominabatur ille liberis populis, sed tantum imperabat, hoc est in Romanorum utilitatem arma & publica jura, extraordinaria majestate, tractabat: unde nec in mentem ei venire potuit, quod grex mancipiorum, nedum in Romana Republica, sed & in naturali jurisprudentia hospites, posteris tradiderunt.

CAPUT XL.

Quomodo accipienda sit Imperii divisio.

SAne omnes illi ante Constantinum Cæsares, qui voluissent accurare pensum suum, toto fere Imperii tempore, procul ab urbe, per Scythas, Thraces, Sarmatas regionesque eas ferebantur, quacunque barbari crebrius in Romanos fines effunderentur. Quæ barbarorum audacia undequaque, ac sæpe cooriens Diocletianum Principem prudentissimum coegit dividere sibi cum Maximiano curam provinciarum Occidente tradito; sibique Oriente retento, ad Persas, aliosque regionum illarum barbaros coercendos. Eaque non Imperii divisione, sed administrationis, cujus summa penes Diocletianum erat, duplici veluti munimento, a Romanis finibus hostes propulsabantur. Quod Diocletiani consilium Constantinus confirmare in perpetuum studuit, & contra orientales barbaros, æternam arcem Romano Imperio, novamque sedem Imperatori collocare, ampliata munitaque, ac mœnibus & ædificiis, ad urbis imaginem, sublata Byzantio; quam a se incrementi ejus auctore, Constantinopolim appellavit, suumque ibi domicilium statuit, ut longius a nostratibus aculeis abiret, judi-

(*a*) Lamprid. *in vit. Comm. in fin.*
(*b*) Brisson. *antiquit. lib.* 1. *cap.* 16.
(*c*) Lactant. *de mort. persec. cap.* 44. *p.* 38. Tillemont. *in collect. art.* 27. *p.* 138.
(*d*) *Paneg. vet.* 6 *pag.* 137. *editi a* Livinerio Antuerp. 1599. Nam quid ego de tuis in Curia sententiis, atque actis loquar, quibus Senatui auctoritatem

judiciisque cavillatoris populi, non admiratione ulla potentiæ, aut insolentia summarum virtutum, sed sola curiositate ac spe sua res æstimantis; ut cedente novitate, satietas illico subiret; plusque Cæsaribus Romæ præsentia sua detraheret, quam longinquæ victoriæ attulissent.

pristinam reddidisti.

(*) Ita tamen, ut cum Senatu Constantinopolitano communicaretur, unde bini Consules, alter Romanus, alter Constantinopolitanus. Quod se ægre non ferre sola satis patientia sua declaravit S. P. Q. R., cum dudum antea plerisque juribus suis per derelictionem excidisset.

CAPUT XLI.

De Sede Imperatoris.

QUoniam igitur nullus certus locus, sed castra & militia, sedes erant Imperatorum, qui domicilium ibi habebant, unde tutius barbaris obsisterent; quid mirum si se Constantinus Byzantium contulit, quo Asia simul & Europa veluti coeunt, undeque, pacatis imo ad Latinam humanitatem redactis Gallis, & cis Rhenum Germanis, utracunque de orbis terrarum parte barbari erumperent, facile avertebantur. Neque tam absurde cogitare poterat Constantinus, ut urbe sua condenda, domicilioque altero Imperatori parando, domicilium everteret ipsius Imperii; deducendaque colonia & filia pariunda, majestatem parentis in eam transferret, quod in Imperatoris potestate non erat; cum ei & Romanorum institutiones, ex quibus majestas realis Senatui hærebat, & gentium leges repugnarent, ex quibus coloniæ urbi, de qua fluxerunt, patriæ quodam potestatis jure subjiciuntur: utcunque Gothofredus junior, (*a*) qui nescio qua sui fiducia, proprium sensum, in re tam vetusta, veteribus anteponit, Constantinopolim eximat e coloniarum numero: quasi aliud sit colonia, quam civitas ex civitate Romana quodammodo propagata, (*b*) in quem numerum a Plethone refertur, (*c*) qui eam appellat ἀποικίαν τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Ῥώμης: *Coloniam Italiæ Romæ:* &, Zonara teste, a Constantino Heraclii nepote, (*d*) qui regiam suam Romam veterem, ut in matris sinum, revocare studebat, cum honos major matri, quam filiæ debeatur, δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας, ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν, *matrem præ filia honorandam esse*; item ab Augustino, (*e*) & a Themistio, qui cum Constantinopolim coleret, Romam μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν *metropolim nostram* appellat; eamque ait, urbibus universis imperare, ac secum Costantinopolim ἡ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων βασιλεύει τῇ δὲ ὑμετέρᾳ συμβασιλεύει. *Quæ* (Roma) *urbibus imperat aliis, cum vestra vero* (Constantinopolis) *imperat una simul.* I nunc, & cum Imperatore Imperium Roma cessisse arbitrator; aut ab honorum exæquatione juris exæquationem arguito, quando, ne honores quidem Constantinopolis habuit Romæ pares: quantocunque Græcus verborum fastus, Sozomeni ore ac fronte (*f*) sibi apud posteros arrogaverit: quem Sozomenum, vel hoc uno Petavius (*g*) mendacii palam coarguit, quod Constantinopolis Præfectum urbis minime ante annum a Christo nato trecentesimum septuagesimum nonum acceperit.

(*a*) *C.* Theodos. *lib.* 14. *tit.* 13. *p.* 223.
(*b*) Gell. *apud* Sigon. *lib.* 2. *cap.* 2.
(*c*) *orat.* 1. *de bello Peloponen.*
(*d*) Zonar. *in vita Constantii.*

CAPUT XLII.

De Communione urbis cum Byzantio.

ATque ipsa hæc Imperii Themistio memorata societas Constantinopoli haudquaquam competebat jure suo nativo, sed adventitio, descendente a persona Principis, ibi permanentis, ibique potestatem illam exercentis, quam Senatus Romanus Cæsari, atque consistorio illius a nobis supra descripto, & ex Senatorum aliquo numero, magistratuumque coacto contribuebat. Ex cujus potestatis diuturno usu, moraque Principis, Constantinopolis Regiæ urbis nomen assequebatur, & ipsius Romæ locum subiisse videbatur iis, qui umbram & imaginem cum re ipsa confundentes, juraque urbis utriusque conturbantes errores ubique atque ad nos usque scriptis suis transmiserunt. Quamvis enim Gallienus Senatores prohibuerit a castris; minimè tamen (in quo & Tillemontius (*h*) labitur) consistorii potestas & usus expiravit: cum corpus hoc & comitum consistorianorum nomen, qui & illu-

(*e*) 5. *de civit. Dei cap.* 21.
(*f*) *lib.* 2. *cap.* 3.
(*g*) *in Julian. epist. pag.* 327.
(*h*) *in* Gallien. *art.* 2.

illustres dicebantur, toto tempore manserint, quo Cæsares floruerunt. (*a*) Exclusit enim Gallienus Senatores a militia, quæ ad ipsius curam pertinebat, non vero a consilio militaris principis & summi ducis: cujus regimen Senatum nunquam dimittere oportebat, ne si casus aliquis incidisset, simul cum principe, qui temporariam habebat auctoritatem, Respublica ipsa rueret, quam propterea in potestate Senatus æterna docuimus esse collocatam. Hæc publicæ potestatis portio Principi & ejus consistorio ab universo Senatu, sive a tota Republica tributa, quia cum ipso Principe ambulabat, migravit etiam Constantinopolim, ibique cum Cæsare constitit ad justam & legitimam rerum administration em Principi permissam; adeo ut ad Principem publicæ potestatis per Senatum Romanum compotem, & ad Consistorium ipsius ex magistratibus, & Senatoribus Romanis lectum referre oportebat publicarum auctoritatem rerum Constantinopoli gerendarum; non vero ad imperium ipsius urbis, quam potuit quidem ludorum, ædificiorum imitatione, ac morum Romæ Constantinus æquare, non vero potestate: nihil enim agimus, cum tradimus alienum.

CAPUT XLIII.

De Constantini jure in Imperii translatione.

NAm quid in Constantinum transierat, nisi exercitum potestatis publicæ radicibus suis in populo Senatuque Romano hærentis, & majestas personalis, quæ Cæsaris vita definiebatur, postea vero nova Principis creatione ad alium, voluntate militum, & *S. P. Q. R.* auctoritate transferebatur? An enim potuisset Imperator, semota violentia, per quam jura omnia conticescunt, imperium sibi exutum, in quem voluisset deponere, & Rempubl. sibi commissam alteri, se invita, tradere? Quod ne in regno quidem licere, nisi transferatur ad proximos ex præcedenti populorum sacramento successuros, libro *de jurisdictione* demostravimus. Cur enim inutiliter usufructuarius jus suum in extraneum transfert, nisi quia jure personali potitur, quod suæ vitæ spatio concluditur? (*b*) Quanto minus igitur Constantinus exuere poterat Senatum Romanum suprema potestate civili, cujus auctoritate acceperat & retinebat ipse militarem civili subjectam, cum vita Cæsaris ab eo decessuram, atque ad universæ majestatis fontem, nempe ad Romanam Rempublicam redituram, novaque creatione, a novo Principe suscipiendam?

CAPUT XLIV.

De Constantini voluntate in Imperio transferendo.

VErum quid contra Sanctissimum Principem excutimus leges publicas, quasi ullo eas unquam facto, præsertim in re summa, violarit: cum posteriores Scriptores Constantinopolitani, Senatus vicem apud suorum temporum Imperatores conquerantur, eosque precibus & lacrymis obtestentur, ut auctoritate aliqua curiam illam inopem, atque despectam impertiantur, ne proceres eam in curiam lecti supplicium potius e sumtibus, quam solatium e potentia ferant, ut ait Themistius [*c*] ἡ γερουσία καὶ ἡ τιμὴ μωρίας, vel ut Harduinus legit, τιμωρίας ἔδοκει μηδοπῶν διαφέρειν; *Hic Senatus honos a stultitia*, vel ex Harduini lectione, *a supplicio minime differre videbatur*, & alibi (*d*) τέλεον σωφρονιζηθῆναι τιμᾶς τὴν γερουσίαν *tertium* (*rogo*) *Senatum honoribus augeas*, nempe ut vere Constantinopolis altera Roma dicatur: τότε (inquit) ἀληθινῶς ἔσται δευτέρα Ῥώμη σὴ πόλις. *Tunc revera erit altera Roma tua civitas*. Ex quibus apparet jactabunde magis, quam vere Sozomenum aliosque fuisse locutos, cum Romæ Constantinopolim æquarunt; & ab ædificiorum ac statuarum sumtu atque magnificentia, non autem a civium auctoritate, urbi suæ Græcos alterius Romæ nomen tribuere potuisse, ostendit idem Themistius in legatione ad Theodosium: νῦν δὲ ἐπὶ μὲν πομπαῖσι τῶν ἀνδριάντων μεγέθεσι σεμνυόμεθα, ἐπὶ δὲ τοῖς τῶν ἀνδρῶν ἀξιώμασιν οὐ θαρρόῦμεν: *nunc magnificentia statuarum decoramur, at minime hominum dignitatibus efferimur*. Ideoque ab Imperatore petit, ut quos nomine Patres conscriptos appellaverat Senatores Constantinopolitanos, potestate atque jure hac appellatione dignos redderet: τιμαῖς δὲ καὶ ἀξώμασιν οὐ καταπυκνώσυν ἡμῖν τὸν γαρούσιον... καὶοῦς πατήρας ἀνύμασες υγγεραμμένες ποισον ἄξιυς τῆς ἐπικλήσεως *congerere dignitates & honores in Senatum, quosque P. C. appellasti, hac appellatione redde dignos*. Hæc ne flagitanda Græcis erant ab Imperatore, si Constantinopolis potestatem publicam urbis Romæ aut participaverat, aut, ex vulgi opinione, sive ex communi somnio, prorsus exhauserat? (*)

CAPUT XLV.

De Privilegiis Urbis Constantinopolitanæ.

QUid igitur est reliquum, nisi ut publica negotia Constantinopoli perinde ac Romæ agitata & definita, non civitatis, curiæve illius, sed ipsius Cæsaris, ejusve consistorii juribus de Imperii scatebra, nempe de Romano Senatu, ad Cæsaris vitam ex S. C. susceptis, adscribamus, & Constantinopolitanum Senatum, potius pompam Principis, quam Reipublicæ Romanæ portionem reputemus? Quam notionem non ex affectione patria, studioque latinitatis, sed ex vero nobis oblatam fuisse præter superiora testimonia, etiam Juliani Cæsaris auctoritate patebit. (*a*) Is enim tantum præstare Constantinopolim ceteris urbibus tradit, quantum Roma Constantinopoli antecelleret Πόλιν τε ἐπώνυμον αὐτῇ κατέστησεν ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δέκα, τοσούτῳ τῶν ἄλλων ἁπασῶν μείζονα ὅσῳ τῆς Ῥώμης ἐλαττοῦσθαι δοκεῖ *Urbem sibi cognominem fundavit minus annis decem tanto aliis majorem quantum ipsa Romæ cedere videretur*. Cum autem ædificiis, multitudine hominum, magnificentia sumtuum, Græcis ipsis testibus, Romam æquaverit; qua parte, nisi auctoritate, [**] atque imperio tantopere cedere, quantum Julianus indicat, urbi Romæ Constantinopolis potuit? Quis modo negaverit Græco nativo verborum fastu, & ingenita sibi adulatione, ita Principis opus extulisse, ut omnia discrimina & jura ipsa publica tumore ac jactantia sua conturbarint: excepto Socrate Sozomeno (*b*) longe modestiori? Et ignotus auctor (*c*) Ammiano Marcellino adjectus refert, Constantinum Byzantio concedendo regias omnes opes effudisse, Romæque illam æquare studuisse Senatumque ibi constituisse, sed, ut ille ait, secundi ordinis, eosque claros appellasse, cum Senatores Romani clarissimi appellarentur. Tantine igitur fuerit unus Sozomenus, ut ejus auctoritas omnia rerum gestarum testimonia, & juris rationem everterit? Atqui auctoris hujus levitatem atque jactantiam Valesius satis prodit in constituendis Imperii Græci finibus, (*d*) quos Sozomenus ejusdem Constantini, ac Theodosii junioris tempore designat; cum divisionem Impe-

---

[*a*] *vide* Goth. *in C. Theod. ad L. quisquis C. ad leg. Corn. de sicar. pag.* 100.

(*b*) *Inst. lib.* 2. *tit* 4. *de usufr.* §. *finitur* 3.
(*c*) *orat.* 4. (*d*) *orat.* 14. *pag.* 180. Hard.

(*) Præter consilium repellendorum barbarorum, quod obtendebat Constantinus, sedem suam Romæ Constantinopolim transferens, id quoque præcipue agebat, ut Majestatem Imperatoriam in tuto collocaret, eandemque insidiis & insultibus Senatus Populique Rom. eximeret. Videbatur enim Imperator in Oriente, Regibus adsueto, facilius Regem acturus, quam in urbe, cujus cives pristinam adhuc libertatem somniabant. Huic autem consilio parum conveniebat, Senatum Constantinopolitanum iisdem prærogativis augere, quibus fruitus fuerat Senatus Romanus, quare ne anguem in sinu foveret, priscos quidem titulos ei dedit veteris Senatus Romani, sed non eandem potestatem. Romanum tamen Senatum tum multo plus potuisse, quam Senatum Constantinopolitanum, vix credibile est, cum per urbis communionem cum Constantinopoli nihil Romæ, præter veteris gloriæ umbram & vana pristinæ dignitatis nomina relinqueretur. Consistorii vero Constantinopolitani assertores Consiliarii magis Principis, quam Senatores erant, eorumque studium præcipuum erat, adorare Principem, & auribus ejus inservire. Illud vero notandum maxime, quod, cum post Honorium, Theodosii M. filium, sine liberis extinctum, Imperium divisum maneret, & alius in Oriente, alius in Occidente Imperator esset, is, qui Romæ agebat, non esset certus justusque Princeps, antequam a Constantinopolitano confirmaretur.

(*a*) *orat.* 1. *pag.* 14. *edit. Petav.*

(**) Quidni vero de rerum gestarum gloria loquatur Julianus, non de auctoritate Populi Romani, qui paulo post tempora Juliani etiam tributarius Imperatoris Constantinopolitani factus est, eique quotannis solidum aureum pendebat viritim. Sozomeno invidiam inde parare, quod is fines Imperii male indicaverit, argumentum est, parum roboris habiturum apud peritos.

(*b*) *lib. hist.* 1. *cap.* 16. *p.* 41.
(*c*) Ammian. Vales. *p.* 475. *vide* Tillemon. *in Constantin. art.* 67.
(*d*) Sozom. *lib.* 2. *c.* 3.

Imperii Constantinus Magnus nullam cogitaverit, & sub illius filiis primum non quidem Imperium, sed administratio ipsius aliter divisa fuerit atque a Sozomeno refertur, ut contra eum erudite probat Valesius, (*a*) cum ostendit, orientale in Europa Imperium sub Constantii ditione Thracia definitum fuisse; Romam vero, & Illyricum, ex fœdere inter fratres percusso, ad Constantem pertinuisse.

CAPUT XLVI.

De Coloniis Romanorum.

HOc etiam, præter imaginem exteriorem civitatis, urbi Romæ simile, præ Coloniis plurimis, habuit Constantinopolis, quod ab institutione sua suscepit mores Romanos & jus Quiritium privatum, quo in contractibus, usucapionibus, potestate patria, tutelis, actibus legitimis aliisque civilibus ritibus Quirites utebantur. [*b*] Siquidem (*c*) coloniarum quædam potiebantur jure Quiritium privato, & Coloniæ Romanæ dicebantur; quædam Latinæ, quæ quamvis deducerentur ex civibus Romanis, non tamen jure Quiritium fruebantur, sed jure Latii, sive Latinorum illorum veterum, qui cum nondum civitatem Romanam accepissent, suffragium Romæ ferre non ultro poterant, sed cum a magistratu Romano vocarentur; & cum in civitate Latina magistratum gessissent, civitatem Romanam adipiscebantur; neque a Romanis magistratum accipiebant, sed proprium sibi creabant. [*d*] Quæ veniunt sub nomine juris Latii: quod aliis etiam populis, nedum Coloniis, a Senatu concedebatur, si populum Romanum demeruissent. [*e*] Diversa porro a coloniis erant municipia, cum coloniæ, ut Sigonius ait, sane pereleganter, ex urbe Roma educerentur, municipia vero introducerentur in urbem; [*f*] etenim non modo civitatem Romanam, & jus Quiritium privatum, verum etiam publicum accipiebant, eamque in tribum ingrediebantur, in quam a Censoribus adscriberentur, & Romanos magistratus pari cum ceteris civibus jure, ac sorte capiebant: exceptis iis, quæ honoris causa nomen assequerentur municipiorum, quorum populi tantum id cum civibus Romanis commune habebant, quod conscriberentur in legionibus, (*g*) quæ tantum ex civibus Romanis componebantur: ut municipes tales in sola militia pro civibus Romanis haberentur. Municipiis, & Coloniis longe inferiores erant Præfecturæ, quæ civitatis jus ob noxam, & leges suas amiserant, legibusque parebant iis, quas Præfectus Romanus ad eos juri dicundo quotannis missus imposuisset. [*h*]

CAPUT XLVII.

De Civitate Romana Italiæ Universæ.

QUÆ discrimina juris Quiritium, juris Latii, Municipiorum, Coloniarum, & Præfecturarum ex Italia universa cesserunt post compositum sociale bellum a Latinis Italisque populis, participandæ Romanæ civitatis causa, commotum. Etenim L. Julia per Sex. Julium Cæsarem lata, civitas Latinis populis primo, (*i*) deinde Italis patuit universis; adeo ut Italia omnis unius fuerit urbis continuatio, atque complexio: (*k*) varietas vero Juris sive Quiritium, sive Latii, sive municipalis remanserit extra Italiam eos apud populos, quibus, ut diximus, hæc a Senatu præmia pro meritorum ratione concedebantur. Tandem discrimina ista juris e toto cesserunt orbe Romano, postquam Antoninus non Pius, aut Marcus, sed teste recenter edito Dionis fragmento, Caracalla Romanam civitatem in Romanam omnem ditionem, sive in universum orbem terrarum extendit, effecitque, ut mundus omnis esset unius Romæ municipium. Verum etsi Roma cum omnibus extra Italiam populis communicaretur; Coloniæ tamen, & Provinciæ haud ita cum ipsa Italia confundebantur, ut non distinguerentur immunitate tributorum capitis, & soli, qua pari cum Roma jure tota Italia, non vero provinciæ, aut extra Italiam Coloniæ iam inde ab Augusti ævo potiebantur Ideo

(*a*) in Sozom. *lib.* 2. *cap.* 3. *annot.*
(*b*) Cujac. *obs.* 10. *cap.* 35. *D.*
(*c*) Sigon. *de antiquo jure Ital. lib.* 2. *c.* 3.
(*d*) Sigon. *cod. tract. lib.* 1. *cap.* 4.
[*e*] Sigon. *ibid.*
(*f*) Sigon. *de ant. jure Ital. lib.* 2. *c* 6. *de municipiis.*
(*g*) Sigon. *loco proxime citato nempe c.* 7.
(*h*) Sigon. *cod. tract. lib.* 2. *cap.* 12.
(*i*) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib.* 1. *cap.* 4.
(*k*) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib.* 3. *c.* 1.

Ideo si quibus extra Italiam populis capitis, & soli concederetur immunitas, iis jus Italicum tributum dicebatur, quod ea libertate sola Italia, non vero nationes aliæ jure suo gauderent; sed largitione Senatus aut Cæsaris. Quæ mansit ex coloniarum notis una post jus Quiritium ubique profusum, (*a*) ut deductæ coloniæ vel tributum capitis & soli sustinerent; vel illud, accepto nominatim jure Italico, sibi excuterent. Quod coloniarum Romanarum erat ab urbe Roma discrimen e Jurisconsultis in *titul. ff. de censibus* passim indicatum.

CAPUT XLVIII.

De Jure Italico urbis Constantinopolitanæ.

HInc & Constantinopolis etsi non exiguam civium Romanorum partem sibi attraxerit, & Romanæ urbis faciem ædificiorum, viarum, collium, situs, ludorum, rituumque ac morum imitatione ad se transtulerit, ac sub urbis Romæ persona in scenam prodierit; latere tamen adeo nequit, ut non se, velit nolit, coloniam Romanam profiteatur, quando immunitatem tributorum capitis & soli, nempe jus Italicum, non ab origine sua, sed a Cæsarum beneficentia duxit: adeo ut opus habuerit, ut ei a singulis Cæsaribus renovaretur: nimirum quia non ingenitum erat, sed adventitium, ideoque cum vita Cæsaris concedentis expirabat. Unde legimus in Theodosiano Codice (*b*) hanc Valentis constitutionem: *Italici juris auxilium arbitra æquitate renovamus. Arbitra æquitate* (inquit) quia jus Italicum minime cum coloniis nascebatur, sed arcessebatur extrinsecus. Et in C. Justinianeo hanc Arcadii & Honorii legem habemus. *Urbs Constantinopolitana* (*c*) *non solum Juris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogativa lætetur:* nempe, ut æque sit sedes non quidem Imperii, sed Imperatoris, & in honorem Cæsaris præesset orienti, sicut Roma orbi terrarum præsidebat universo. Nam etiam alibi (*d*) sacris in negotiis (*e*) id repetitur: cum tamen sciamus, vel ipso Justiniano teste, qui in Novellis veterem Romam sacerdotii fontem appellat, Constantinopolitanum antistitem orientalibus Episcopis utcunque prælatum, ipsum tamen simul cum cæteris Ecclesiis Romano paruisse; (*f*) ut palam sit parem hanc urbi Romæ prerogativam non ita esse accipiendam, ut ad omnia extendatur: nam & post has leges, quanta potestate Constantinopoli Roma præstiterit, in sequentibus ostendemus. (*)

CAPUT XLIX.

In Jacobum Gothofredum de falsa exæquatione Urbis Constantinopolitanæ cum Romana.

PRospexit istas in se impendentes difficultates Gothofredus, qui ut has plagas effugiat, intulit se in majores. (*g*) Primo enim nullo rerum gestarum vestigio confinxit jus Italicum fuisse Constantinopoli a Procopio tyranno per vim ereptum; post autem a sequentibus Imperatoribus restitutum. Quod refutatione minime indiget, utpote ad priorem errorem tuendum gratuito, ne dicam temere, prolatum. Deinde novum comminiscitur juris Italici discrimen e suo jecore, non ab ulla juris veteris ratione, aut antiquitatis monumento editum. Distinguit enim jus Italicum Constantinopolitanum a jure Italico civitatum aliarum, posito in immunitate capitis, & soli; cum jus Italicum Constantinopolitanum

(*a*) Spanhem. *in orbe Roman. cap.* 19. *pag.* 464. & 465.
(*b*) *L.* 1. *tit de jure Ital. urb. Constant.*
(*c*) *L. unic. C. Inst. de privat. urb. Constant.*
(*d*) *C. Theod. de Episcop. l. omni* 45.
(*e*) *L.* 45. *de Episc. Chalcedonens. Concil. cap.* 28.
(*f*) *Responsi. Justiniani incipiens reddentes post. L.* 7. *C. de summa Trinit. & fide Cathol. item dist.* 22. *& Novell.* 123. §. 1. *Novell.* 9.
(*) Neque eo vehementer extollitur dignitas urbis Romæ, quod Constantinopolis est Colonia Romana. Eidem enim veteris quoque Romæ prerogativa data, coloniæ quoque sæpissime urbes, ex quibus ductæ sunt, valde superant, exemplo Romæ ipsius, quam Albanorum Coloniam fuisse, ferunt. Renovare autem singuli Imperatores privilegia novæ urbis maluerunt, quam concedere in perpetuum, ne cristas temere Constantinopolitani extollerent & ipsius Imperatoribus graves essent. Etsi porro quam maxime Episcopus Constantinopolitanus Episcopo subfuerit Romano, nihil inde coegeris pro Imperio Romano, cum & hoc inter artes aulæ esse potuerit, quibus id agebatur, ut ne ægre ferrent Romani translationem sedis Imperatoriæ. Et tandem Græca quoque ecclesia Romano se Pontifici subtraxit.
(*g*) *L.* 1. *C. Theod. de jure Italic. urb. Constantin p.* 222. *& seq. in commentar.*

num ab eo in juris Italici concedendi facultate, pari cum Roma jure collocetur: ut Roma quidem illud civitatibus occidentis, Constantinopolis vero populis orientalibus concesserit: quasi a jure civitatis Constantinopolitanæ beneficia ista orientalibus urbibus advenirent; non vero a jure ipsius Imperatoris ibi permanentis, & publici juris dispensationem a Senatus Romani auctoritate trahentis: quo jure Cæsar & controversias inter populos ortas dirimebat, cum Constantinopoli degeret: quod causam erroris obtulit Gothofredo, qui auctoritatem a Cæsare ad domicilium transtulit illius. Verum hoc Gothofredi figmentum confutare non cogimur, cum ipsemet ei suum patrocinium negarit (*a*) confutatus a Petavio, (*b*) & a Valesio, (*c*) atque admonitus βασιλέυων πόλιν a Juliano, quem Gothofredus in suam causam vocaverat, non Constantinopolim nuncupari, sed Romam veterem; ideoque jus Imperii non alibi, quam Romæ ab eo collocari, ubi degeret Imperator. Et Sozomenus, (*d*) quamvis alioquin inflatius pro Constantinopoli sua loquatur, minime tamen Imperium a veteri Roma transfert ad novam; sed nomina simul urbis utriusque committit, & curias, & institutiones, & contrahendi ritus, ut recte Valesius pro συμβολα legerit συμβόλαια. Imo cum similitudinem instituat a potestate sacra, qua, se ipso teste Romanus Constantinopolitano longe præcellebat; sat ostendit quantopere in poblica rerum civilium administratione urbs Romana Constantinopoli anteiret.

Μετὰ δὲ τὴς Ρώμης τὸν Κωνσταντίνε πόλεως ἐπίσκοπον τὰ πρεσβεῖα ἔχειν, ὡς νέας Ρώμης τὸν θρόνον ἐπιτροπεύοντα. ἢ δὲ χὰρ ἀ πάνυ ἔιχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερουσία πάμπολυ δήμων, τὰ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο. ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια καὶ τὰ νομιμα τῶν ἐν Ιταλία ῥωμαίων ἐκείνετο καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ γέρα περὶ πάντα ἑκατέρα ἰσάζετο.

Post Romanum præcellere, Constantinopolitanum Episcopum, utpote novæ Romæ præsidentem. Jam enim non modo appellationem hanc civitas (Constantinopolitana) *habebat, & Senatu, & populi ordinibus, & magistratibus similiter utebatur; sed & contractus ex legibus Romanorum, qui sunt in Italia, celebrabat:* (*e*) *& institutis, ac muneribus alteri per omnia æquabatur.*

VALESII versio ejusdem loci:

Præterea ut post Episcopum urbis Romæ Constantinopolitanus habet honoris prærogativam, utpote qui junioris Romæ Episcopatum administret. Jam tum enim urbs illa, non solum hanc appellationem meruerat, & Senatum & ordines populi, & magistratus similiter habebat; Verum etiam contractus civium ejus urbis juxta leges Romanorum, qui in Italia sunt, judicabat, juraque omnia, & privilegia æqualia seniori Romæ possidebat. Ita vertit Valesius pro erudito sane homine ac docto, sed non juris: sine cujus fraude, servata etiam verborum proprietate, nobiscum potuisset postremas voces explicare.

Æquemus illas cum Sozomeno moribus, institutis, ædificiis, magistratibus, contractibus, muneribus; parem vero potestatem in summa Reipublicæ, atque in apice dominationis habuisse, unde liquet? An non enim provinciales magistratus erant urbanis similes, iisque in provinciis pares, & tamen longe in majestate suprema inferiores urbanis, in quibus, utpote a fonte manantibus, una cum Senatu summa erat potestatis, quæ per gradus in provincias ex urbe diffundebatur? Neque alia potestas Constantinopolim commigravit præter provincialem. Siquidem, ut observat Tillemontius, (*f*) Senatus Constantinopolitanus initio a Proconsule regebatur, quamvis procedentibus temporibus, usque ad Justinianum teste Procopio, (*g*) Consulum alter, qui occidentalis erat, Romæ crearetur; alter vero nempe orientalis Constantinopoli, ut secum ea in urbe portio illa civilis potestatis Roma fluentis habitaret, quæ ad justam negotiorum publicorum administrationem requirebatur; utque præsente Consule,

(*a*) *Ad L. 1. C. Theod. de jur. Ital. verbo Constant. p.* 222. Spanhem. *in orbe Rom c. 19. p.* 465.
(*b*) *In not. ad epist. Julian.* 35.
(*c*) *Annotat. in* Sozomen. *lib. 7. cap. 9.*
(*d*) *Lib. 7. cap. 9. p.* 714.
(*e*) Hæc *omnia officio judicis celebrari oportet, hoc est* dirimi, *disceptari, judicari pro græco* ἐκρίνετο. *Ulp. l. si alius 7. § 7. ff. quod vi aut clam.*
(*f*) *In vita Constant. art.* 67.
(*g*) *In arcana hist. p.* 114. *& notæ in illum pag.* 106.

sule, si quid in consilio suo decerneret Imperator, id non ex potentioris arbitrio, sed ex legibus, & ex ipsa Republica in Consules collata, prodire videretur.

Neque Constantinopolis, quod alterum Consulem acciperet, propterea Romam æquabat: tum quia primas in honoribus ferebat Consul Romæ creatus, ut ex Procopio Grotius refert; (*a*) tum quia Zonaras (*b*) principatum Romæ remansisse testatur, utcunque Constantinus secum Constantinopolim transtulerit exercitium juris Imperatorii Romæ radicibus suis hærentis, quod ad actus Reipublicæ necessarios expediendos ab Imperatore secum trahebatur. Quo sensu eam translationem accipiendam esse docet Ammianus Marcellinus, cum scribit, Romam cum Imperio ab se parto sese commisisse Cæsaribus, non tanquam dominis ancillam, sed tanquam parentem liberis, per victorias eorum & militarem virtutem non oppressuris matrem, neque ab illius gremio convulsam dominationem ad exteros, sibique subjectos populos, ex vulgi errore, translaturis; sed majori præsidio contra barbaros munituris auctoritatem eam, qua exercitibus Romanis ad S. P. Q. R. usum Princeps imperabat. *Urbs venerabilis* (inquit Ammianus) (*c*) *post superbas efferataram gentium cervices oppressas, lataque leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, veluti frugi parens & prudens & dives Cæsaribus tanquam liberis suis regenda patrimonii jura permisit.* Hæc homo Græcus, cum inter Græcos habitaret Imperator. Nimirum quia, etsi Roma procul abesset persona imperantis, nihilo tamen minus ipsa urbs per eum imperare putabatur: ut clarius elucet ex his, quæ idem subjicit, scribens: *Licet occisæ sint tribus pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis; per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, ut domina suspicitur & regina, & ubique Patrum veneranda canities, populique Romani nomen circumspectum & verecundum*, & lib. XVI. hæc de Constantino ad urbem adventante refert: [*d*] *Cumque urbi appropinquaret, Senatus officia, reverendasque patriciæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non ut Cineas ille Pyrrhi Regis legatus in unum coactam multitudinem Regum; sed asylum mundi totius adesse æstimabat.* Hactenus Marcellinus, qui usque ad Theodosium vixit. Et qui Honorii tempore floruit Claudianus nativum, ac legitimum perpetuumque Imperii solum, etsi suo ævo alter Imperator Constantinopoli degeret, Romam tamen unice agnoscit his versibus;

Quem precor ad finem laribus sejuncta potestas
Exulat, imperiumque suis e finibus exit?

Roma enim ille imperium velut e fonte manare alibi docet, inquiens:

Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium.

Alioque loco per Cæsarum creationem non avulsum a Patribus Imperium docet, sed societatem illius inter Patres & Principem initam his versibus ad Honorium Imperatorem, simulque Consulem pertinentibus:

- - - - numeroso Consule Consul
Cingeris, & socios gaudes habere Patres.

Scriptorum porro testimoniis consentiunt monumenta rerum gestarum, quæ Senatus auctoritatem pandunt etiam inter publicas res violentia militari a barbarorum incursione perturbatas. Cujus auctoritatis exemplum prodiit illustre sæculo prope post Constantinum, nempe sub Arcadio & Honorio. (*e*) Quo tempore cum ipsos inter Cæsares de Imperii finibus certaretur, mos antiquus fuit revocandus, Senatusque Romanus consulendus, ut per potestatem Cæsarea Imperatoriaque majorem, lites eorum, veluti potestate patria, liberorum controversiæ componerentur. Quæ si potestas unquam corruisset, resurgere nullo modo valebat Imperium, ubi semel Imperatorum ipsorum dissidiis inclinasset. Cum igitur Gildo Africam, quam Honorii nomine regebat, occupaturus eam traheret, vel trahere simularet ad Arcadium, atque ab occidentali avellere studeret Imperio; res ve-

(*a*) *lib. 2. de jure belli cap. 9. XI. 2. in not.*
(*b*) *Annal. 3. in Constant. pag.* 84.
(*c*) *lib. 14. num* 15.
(*d*) *pag.* 70.
[*e*] Symmach. *lib. 4. Epist. 4.* Claudian. *de bello Gildon.*

tusto ritu ad Senatus Romani judicium devenit. Quo judicio Patres hostem patriæ Gildonem judicarunt, bellumque adversus eum decreverunt, repetitamque Africam Honorio reddiderunt. Hinc Claudianus Stiliconem ingentibus effert laudibus, quod ad rectæ rationis atque priscæ Romanorum institutionis normam, ex Senatus sententia bellum decernendum, remque militarem gerendam curarit: unde inquit *lib.* 1. de laudibus Stiliconis:

Hoc quoque non parvæ fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco censeret bella Senatus.
Neglectum Stilico tot jam per secula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres;
Decretoque togæ felix legionibus iret
Tessera, Romuleas leges rediisse fatemur,
Cum procerum jussis famulantia cernimus arma.

& *libro* 6. de Honorii Consulatu:

- - - agnoscunt proceres, habituque Gabino
Principis, & Ducibus circumstipata togatis
Juræ paludatæ jam Curia militat aulæ.

eodemque libro pluribus laudaverat Honorium, quod omnibus de rebus ad Senatum referret, more majorum, his versibus:

Hic est ille puer, qui nunc ad nostra Quirites
Evocat, & solio fultus genitoris eburno
Gestarum Patribus causas ex ordine rerum,
Eventusque refert, veterumque exempla secutus
Digerit Imperii sub judice facta Senatu,

& *libro* 3. de laudibus Stiliconis, exultat idem Poeta, quod Roma rerum domina nomine suo legiones duceret:

Ipsa jubet signis, bellaturoque togatus
Imperat, & spectant Aquilæ decreta Senatus.

Ubi sunt, qui aut periisse funditus Romani Senatus potestatem somniant, aut in Græciam evolasse? Cur? quia nimirum rara inveniunt hujusce potestatis exempla post Constantini discessum, quasi ad nos monumenta publica pervenerint omnia, vel frequens fuerit hujus remedii, talisque potestatis exercendæ necessitas: præsertim ex quo Cæsaribus creatis per legem, quam exposuimus, Regiam, belli pacisque cum hostibus arbitrium a Senatu permittebatur; adeo ut Cæsaribus tantum ipsis secum contendentibus excitandum fuisset judicium Patrum, ipsam Rempublicam reddentium, vires que proferentium publicæ nativæ perennisque majestatis, qua majestatem temporariam & commodatitiam Principum aut definirent, aut explicarent, ad usumque Reipublicæ flecterent componendis recidendisque dissidiis militaribus auctoritate civili: quæ nisi constitisset in corpore Senatus perpetuo, cum ipsa imperantis vita, ut supra exposuimus, occubuisset; remque omnem Romanam, sive orbis terrarum regimen, in suum interitum traxisset. Quæ publici juris ratio communis est & regnis illis omnibus, quæ per electionem traduntur, non autem per successionem, quorum potestas publica cum ipso hereditario Rege nunquam perierit: quia utcunque secum ambulet majestas personalis; majestas tamen realis defuncti Regis posteritate, tanquam capite ac radice perpetuo continetur. Quod autem in regnis electione tradendis lineæ Regiorum descendentium non adplicatur, id oportet vel in civitate universa, vel in primoribus civium, atque in Senatu, & magistratibus perpetuo locatum existimetur. (*)

CA-

(*) Neutra conjectura Gothofredi a verisimili magnopere abhorret, prodestque posteriori, quod neutiquam Constantinopolis a sede Imperatoria sola dignitatem suam nacta est, sed, ut toties observavit Noster, Romæ veteri exæquata. Sozomenus ut Imperium a veteri Roma ad novam translatum diceret, nulla necessitas erat, cum satis sit, idem inter utramque communicatum fuisse. In nominibus magistratuum sæpe lusum, enervata jam potestate dignitatem, quibus libera Respublica utebatur. Temporibus Honorii, quod exemplum memorabile est, Africam ei patres adjudicarunt, Gildonem hostem patriæ pronunciarunt, sed hunc ipse Claudianus

Neglectum dicis tot jam per secula morem,

nec sententiæ patrum cessit Gildo, sed armis in ordinem cogendus fuit.

CAPUT I.

Operis Conclusio.

UT autem eo revertamur, unde discessimus, satis arbitror, ostendimus, Romam fuisse imperii fontem; Byzantium vero sedem Imperatoris, non quidem perpetuam, sed diuturniorem: cum Imperator non aliam sedem habeat perpetuam præter militiam, quæ habitat in castris; cum quibus mutat & ipse domicilium, utpote ad obeundas armis provincias Romanorum, atque ad victorias Pop. Rom. multiplicandas, finesque tuendos, aut propagandos institutus. Ideo Byzantium utpote sedes certior, atque constantior summi Ducis, Prætorium erat stabile, quasi castra vallata muris & tentoria in ædificiis collocata. Quamobrem cum aut Reipublicæ necessitas exercituum Ducem ad occidentales regiones vocaret, aut ad plures Cæsares Imperii administratio deveniret, Roma suum repetebat Principem; ipseque in ipsius Imperii domicilium remigrabat. Quod rerum gestarum & antiquitatis totius fide comprobatur: siquidem quoad majestas Romana & Imperium omne stetit incolumne, nempe ad Augustulum usque, Odoacris parricidio sublatum, res Romana, vel ab uno, vel a pluribus Cæsaribus ita gerebatur, ut vel unus præsto esset, quocunque belli causa traheret; vel plures sibi provincias ita dividerent, ut alter orientalem, alter occidentalem Romani orbis partem tueretur ac regeret; aliquando vero plurifariam, pro imperantium numero, dividerent sibi Romanum orbem pluribus ducibus concreditum; tanquam unius tutela, quæ pluribus tutoribus gerenda committatur. Sed jam vela contrahentes, & Reipublicæ Romanæ formam de superioribus disputationibus breviter exprimentes colligamus, potestatem omnem Romanorum publicam jam a Tiberii tempore ad Senatum translatam, in Civilem & militarem ab urbis primordio discessisse. Civilem variis portionibus sub jurisdictionis nomine ad singulos manasse magistratus; militarem per S. C. transiisse in Imperatores: ut duo principatus prodierint, veluti duarum ex universo terrarum orbe nationum; Quiritium videlicet & militum. Illorum principatus erat civilis nempe Consulatus, aut regnum unius anni; horum principatus erat militaris, nempe jus armorum perpetuum, sive Imperium ex Romanis institutis nunquam jure magistratuum, sed certa lege transiturum: unde natum apud JCtos nomen imperii meri e summo jure militari venientis, neque jurisdictionem unquam comitantis.

Hinc a scriptoribus priscis utriusque principatus inter se munera peritissime secernuntur: Cum principatus Civilis militari præcellens Consules, Censores, Prætores, aliosque minores magistratus, omnemque Rempublicam; principatus militaris Legatos, Tribunos, Duces, omnemque militiam Reipublicæ causa institutam contineret. Unde Tacitus Neronem, nondum felicitate labefactatum, ita jura publica temperantem ac partientem inducit: *Teneret antiqua munera Senatus. Consulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ assisterent.*

Nempe provinciæ pacatæ, quas una cum Italia sibi Senatus retinuerat: ideoque administrabantur a Consule, cum exercitu, & Imperatore opus non haberent: (*a*) deinde subdit: *se* (nempe Cæsarem) *mandatis, exercitibus consulturum;* (*b*) & alibi: *Deinde ceteri composita indignatione, quod Consul Rempublicam Dux Imperatorem prodidisset.* Et Svetonius Rempubl. omnem ad Consules revocat, cum scribit, Caligulæ tempore, prolata Consulum creatione, triduo Remp. fuisse sine summa potestate.

Quamvis autem Imperator, susceptis sibi per militarem potentiam frequentibus Consulatibus, aliisque magistratibus majoribus, & Tribunitia potestate, quotannis, jus præferret pene regium; tamen quia nunquam ex instituto Pop. Rom. munera cum muneribus, aut potestas militaris cum civili confundebantur; sed semper, etiam si unius in personam coirent, natura sua distinguebantur; propterea neque jus Imperii extinxit jura magistratuum; neque potestas militaris extinguere unquam potuit potestatem civilem in Senatu perpetuo insidentem, & magistratibus omnibus, sicut & Ducibus, ipsis-

(a) *Annal.* 13.

(b) *Lib.* 3. *hist.* p. 527.

ipsisque Imperatoribus, Reipublicæ nomine, imperantem.

Atque hæc de Romano Imperio ad Augustulum usque. De variatione autem ipsius a Carolo Magno, & a Germanici Regni mistura, si vita, & facultas dabitur, peculiari tractatione differemus: cum sylvam rerum suis locis ad sententiæ nostræ munimentum & lumen tribuendarum, ex idoneis auctoribus, & e civilis & Pontificii juris interpretibus, longo gravique labore a nobis collectam, ad manum habeamus. Hunc autem librum modo editum, propter discrimen juris ab ea tractatione sejunctum, & propter affinitatem rerum & temporum, cum tribus hisce superioribus conjunctum, vobisque, QUIRITES, dicatum voluimus, qui tam bene armis legibusque vestris de omni humano genere meruistis; Quique membra divulsa orbis terrarum, hominesque agrestibus moribus distractos, & dissipatos, ad honestatis commercium, urbis vestræ communione, convocastis; ut si qua cultura supereſt animorum, ea omnis vobis debeatur, & latini sermonis usu legumque vestrarum studio conservetur.

Βάλευμα χρηστὸν ὑπερ ἑνὸς πόλις παππέδων κρατῆ. *Thucid. lib.8. cap.76.*

JANI VINCENTII GRAVINÆ OPUSCULA ET ORATIONES VARII ARGUMENTI.

SPECIMEN PRISCI JURIS, AD CASPAREM CARPINEUM CARDINALEM.

Æpe contigit, CASPAR Cardinalis amplissime, ut, cum Jurisconsulti & eruditi contenderent inter se, ac suam vicissim doctrinam verbis extollerent, extenuarent alienam, ipse a neutris gratiam inirem; propterea quod apud eos, quorum pars a jurisprudentia eruditionem removerant omnem, pars nunquam eruditioni jurisprudentiam adjunxerant, negarem ea studia distrahenda, sed ad summam eruditionem veteris Juris notitiam, & ad plenam atque maturam jurisprudentiam reconditam & exquisitam eruditionem pertinere, confirmarem. Quam ego sententiam nostris quidem temporibus, in quibus fæx interpretum sordesque forenses non modo innatam Juri civili eruditionem, sed Jus civile ipsum ab injustis possessoribus jam diu occupatum obruerunt, satis invidiosam, tibi tamen præ cæteris probatum iri confido; utpote cum ad diuturnum, ac ne punctum quidem temporis in vita intermissum, civilis & Pontificii juris studium, assiduumque veterum & novorum interpretum usum, antiquitatis Romanæ notitiam, & severam ac solidam, non fucatam aut ambitiosam eruditionem, summa cum laude nominis tui, ac omnium fere mortalium utilitate contuleris.

Etenim ne aliquis illorum esses, qui, quum interpretes populo dati sunt, interpretem sibi alium e populo quærere coguntur; usque ab adolescentia sacrorum curam, & privatarum publicarumque causarum cognitionem pro deferendis muneribus susceпturus, non modo Jus, in quo versamur, cognoscendum; sed veterem omnem Ecclesiæ statum percurrendum tibi putasti, & antiquorum patrum sapientiam tui muneris sociam atque consortem dignitatis adscivisti; ut e stirpe sua repeteres eam consiliorum copiam & maturitatem, qua diu gentibus prospexisti, quaque tuis sententiis eam auctoritatem conciliasti, ut non modo hæc ætas æqui & iniqui discrimen a tuo judicio deducat; sed & gravissimi illi antiquimoris judices Coruncani, & Cassii, si tecum irent in consilium, tibi deliberationem suam committerent, tibi jus omne traderent mentis suæ, plusque in responsis tuis, quam in propria conscientia ponerent. Jure igitur urbs universa de summis rebus deliberatura veretur, ne quid sine auspiciis aggrediatur, nisi te antea consuluerit; ita

ut

ut incremento gloriæ, quam tibi uni debes, ampliſſima illa ornamenta ſuperaveris, quæ a majorum tuorum ſplendore proficiſcuntur; & cum ſublimiores honorum gradus adſcenderis, nullam adhuc meritis parem inveneris dignitatem.

Nos vero contentionibus illis excitati, quo demonſtremus, juriſprudentiam a retruſiori eruditione deſcendere, ac ſimul facem aliquam, quantum in nobis eſt, Juris civilis ſtudioſis præferamus, adjecimus nuper animum ad exponendas origines Juris civilis. Quod ſi mihi ſucceſſerit ex ſententia, facile vicero, eruditionem omnem incurrere in juriſprudentiam, ac jus civile vix ab ullis melius poſſe præſtari, quam ab iis, qui exemplo graviorum interpretum leges e ſuis hauſere fontibus, iiſque ſtudiis uſum incorruptæ Latinitatis, & philoſophorum acumen, ac veterum notitiam temporum adjunxerunt. Quod opus cum plurium annorum ſit, & immenſi laboris ac induſtriæ; interea loci quo monumentum aliquod obſequii & cultus erga te noſtri ſtatuamus, ex rudibus adhuc illis, nec dum digeſtis commentariis, ſpecimen hoc excerpſimus, in quo breviter expoſuimus, quæ fuſius in primo *de originibus* libro diſputabimus. Quod munuſculum, quantulumcunque illud ſit, pro tua humanitate non gravate accipias, rogo.

Quoniam igitur nemo eſt auctor ſui, nec ullam homo ſibi tribuere facultatem poteſt, ſed tantum edere atque verſare, quod in tributis facultatibus conditum a Deo fuit, a quo proficiſcitur quantumcunque præferimus; ideo quatenus cujuſque facultas excurrit, eatenus cupiditatis jura porriguntur: ſiquidem natura nemo alteri jure propriæ facultatis exercendæ præcellit. At quia diſpares hominum ſunt & finitæ facultates, infinita vero cupiditas ſingulorum; ideo, concurrentibus cupiditatibus omnium, ſimul facultates impelluntur; ita ut vel minores coerceantur a majoribus, vel pares mutuo collidantur. (*) Quam animorum conflictationem rapinæ, jurgia, & mutuæ cædes, & tumultus, & rerum omnium perturbatio conſequeretur, niſi cupiditatum impetum ratio comprimeret recto uſu libertatis, quæ regendis data eſt flectendiſque motibus animorum, eaque ratione magis exprimitur quam cupiditate: ratio enim expeditur cujuſque naturæ poteſtate, cupiditas rebus externis vel coercetur, vel impellitur, vel agitatur; ut quo cupiditas latius effunditur, eo libertas arctius contrahatur; ideo cupiditatem, ſupra quam fert naturæ facultas, attollentes ab ipſa natura, quam maxime conamur augere, deſciſcimus: quoniam ea complectimur animo, quæ rebus potius externis quam naturæ facultatibus gubernantur, & ab alienis occupati, curam noſtri externarum cauſarum potentiæ tradimus, iiſdemque rebus obnoxii, quas urgemus, dum ad majorem poteſtatem contendimus, miſeriorem incurrimus ſervitutem. Quo igitur ſe quiſque ſibi vindicet, naturæ poteſtati cupiditas eſt exæquenda & componenda ratione, quæ nihil aliud eſt, quam propriæ naturæ poteſtate circumſcripta voluntas, quam vel honeſtatis initium appellemus licet, vel ipſam potius honeſtatem.

Virtus enim, quæ nullis rebus extra ſe poſitis ducitur, ſed propriæ naturæ viribus explicatur, ſummum eſt libertatis & honeſtatis opus; ideo ſapiens, qui omne bonum in virtute ponit, ſummam, quæ quidem homini convenit, aſſequitur libertatem. Quamobrem ſapientes, qui potiſſimum rationem habuerunt expeditam, ſuo ſibi conſilio regendos ſuſceperunt eos, qui animum quodammodo in poteſtate non tenent, quique magis alienarum opum, quam propriæ tranquillitatis deſiderio rapiuntur, & a cupiditatibus &

(*) Siſtuntur hic primo loco ſententiæ Spinoſæ & Hobbeſii, commentis Gravinæ incruſtatæ. Quæ dein ſequuntur paginæ aliquot ad verbum fere deſcriptæ ſunt ex *libri II. c. 17. 18. 21. & 23.* niſi potius hæc capita ex hoc opuſculo mutuatus eſt Noſter: quod veriſimilius, quia opuſculum prius editum. Reliqua totius opuſculi uſque ad finem ejuſdem, epitomen ſiſtunt commentarii ad XII. tabulas, qui eodem libro ſecundo continentur, & quem ſupra illuſtravimus. Epitome ipſa ſæpe verba commentarii ſiſtit. Diſcrimen in ſolo ordine tractationis, quem hic ſecundum tabulas præeunte Gothofredo ſequitur, cum in *lib. I.* ad exemplum Hotomanni ordinem materiarum ſectetur, niſi quod in fine opuſculi uſurpationem actibus legitimis annumerat, quam in commentario ad XII. tabulas prætermiſit, & quod paullo ante, venditionem familiæ inter actus legitimos ſigillatim recenſet, cum eam rectius ſupra generali mancipationis vocabulo complexus ſit.

& voluptatibus, quibus indulgent, ſuo & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur uſu compertum fuit & ratione proviſum, homines, ſi jus quiſque ſuum propria utilitate ac facultate metirentur, cupiditatibus diſtractos perpetuo conflictatum iri, ac omnium ſalutem in aſſiduo periculo verſari; propterea ſapientia, ſive adulta ratio, ſua cuique rerum portione tributa, ut inteſtinum & externum periculum arceret, ſocietatem conflavit; utque conflatam ſocietatem perpetuo tueretur, civile bonum propria & communi utilitate definivit. Quo vero ſingulorum & commune bonum perpetuis vinculis contineretur, certis pactionibus conſtituendis atque firmandis ſuam quiſque voluntatem contribuerunt, ac in medium proprias contulere facultates, ut ex omnium voluntatibus & facultatibus eodem confluentibus publica voluntas exoriretur, & ſumma poteſtas: quarum altera dicta lex eſt, ſive communis ratio, vel civilis ſapientia, & publica philoſophia: altera imperium, ſive virtus, & facultas univerſorum. Eaque non ſapientibus, ſua quibus ratio lex eſt & imperium, ſed iis ſunt poſita coercendis, ad quorum animos componendos ratio non valet, ut, quæ perturbatio propria ratione non reprimitur; ratione ac poteſtate publica, & alia majori perturbatione, nempe mortis & pœnarum metu, contineatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus ſæpe triſtiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem & ignem admovemus.

Hinc ex placida & inermi armata prodiit & imperioſa ſapientia, cujus vi libertas noſtra minime præcipitur, quoniam ea poteſtas extitit ex confuſis omnium facultatibus, & lex univerſorum complexa voluntates, ſingulorum rationem & poteſtatem in ſe ipſa conditas perpetuo conſervat: unde qui lege premitur, non aliena vi, ſed ſua potius imperii portione gubernatur. Quocirca omnium intereſt tueri leges, utpote vinculum publicæ ſalutis, qua unuſquiſque intelligit contineri ſuam. Ubi enim homines mutuo compulſi metu convenerunt in civitatem, portio ſuæ fit quiſque reipublicæ, cujus commodum, privatorum criminibus reſciſſum, eorundem eſt pœna ſarciendum, ut exemplo alieni ſupplicii a publica ſalute, quæ ſingulos tuetur, novorum criminum pericula propulſentur. Ideo conditis legibus, & imperio conſtituto, rei adminiſtrandæ ratio quærenda fuit, unde publica poteſtas vel ad Optimates adſcendit, vel conſedit in Principe, vel tributis communi conſenſu partibus per ſingulos ordines permeavit. Quæ poteſtas ad communem utilitatem publica voluntate inſtituta, ſi publicæ ſalutis detrimento, & ſingulorum injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, eodem revolvitur. Abeſt enim a tyrannide conſenſus univerſorum, ſine quo nullum ratum eſt & juſtum imperium. Unde, quod commodo civium fieri poſſit, licebit ſane rempublicam a prædone repetere, ne cunctorum opes & ſalus paucorum aut unius cupiditatibus vel libidinibus devoveantur. Etenim res eſt ſacroſancta libertas & divini juris, quippe humanæ a Deo implicata naturæ, ut eam tentare ſcelus ſit, impium circumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicæ utilitatis cauſa jus eſt Principibus atque potentioribus, legum vim armis & auctoritate reſtituere, ſi juſtam libertatem effuſiori licentia multitudo corruperit.

Suprema vero poteſtas, ſive in Populo, ſive in Optimatibus, ſive in Principe, ſive pro ſua cujuſque portione conſiſtat in omnibus, explicatur per magiſtratus & judices, adhibitis in conſilium Juriſconſultis, qui ſunt legum voces, & Juris cuſtodes, atque Juſtitiæ ſacerdotes. Hanc autem univerſam rationem publicæ tranquillitatis prudentiſſimi legum latores, ut populorum natura ferebat, formarunt, atque flexerunt, & ad ſuos cujuſque regionis & temporis mores derivarunt. Hinc, quamvis unam omnibus honeſtatis informationem natura dediſſet, vultu tamen ac ſpecie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diverſæ populorum & diſcrepantes ſunt inter ſe leges, quoniam non iiſdem ex fontibus ſuam omnes ducunt utilitatem: cumque unum ſit opus univerſorum, ſingularum tamen urbium regimen pro temporum & morum varietate diſtinguitur. Sane Judæis, quem ſibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipſius divinitatis voce conſtitutum: unde recte Joſephus Judæorum rempubli-

cam Θεοκρατίαν, sive divinum regimen, appellavit.

Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas deſcendemus, ex humano profluxere conſilio. Omnium autem Principem leges dediſſe ferunt (*b*) Cererem, in majorum deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab Ægyptiis relatam; quorum ſimulacra deorum, nemini niſi ſacerdotibus adeunda, Cambyſes poſt longam ejus ſuperſtitionis deriſionem incendit (*b*).

Ea ſacra Erichteus Ægyptius Athenas, ubi magna erat rei frumentariæ penuria, comportato frumento tranſtulit, [*c*] eoque beneficio meruit, ut regnum ei deferretur, ac in Eleuſi ſacrum Cereri ſolemne inſtitueretur. Sunt, qui legum inſtitutionem tribuant Onomacrito, de quo hæc ab Ariſtotele traduntur *libr.* 2. *Politic.* πειρῶνται δέ καὶ τίνες καὶ συνάγειν ὡς Ὀ νομακρίτου μὲν γενομένου πρότου δ᾽ὑπὲρ περὶ νομοθεσίαν.

Alii primas leges ducunt a Rhadamantho (*d*) Lyciæ Rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Illienſibus fuerit inſtitutus, iſque ob inſigne ſtudium juſtitiæ, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas æſtimare. Perſis Zoroaſtrem leges tradidiſſe complures exiſtimarunt, ac eum eſſe cenſuerunt antiquiſſimum. Cum autem de illius ætate ſummopere contenderetur, ac a Xantho Lydio ſexcentos annos a [*e*] Zoroaſtre ad Xerxem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxiſſe a Zoroaſtre ad excidium Trojæ crederetur, duo ab aliquibus poſiti fuere Zoroaſtres, cum teſtimonia ſcriptorum frequentiora ſint de illo aſtronomiæ peritiſſimo, quem Perſæ recentiores Hyſtaſpis Darii Regis patris æqualem faciunt: a quo Hyſtaſpe Magorum doctrinam enatam eſſe, Darius filius in patris monumento inſcribendum curavit. Cæterum Apulejus Zoroaſtrem conſtituit ſub imperio Cambyſis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Apulejus tradit, doctores habuit Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrem. Ægyptii ab utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo ſcilicet, de quo [*f*] Cicero tradit, Ægyptios non leges modo, ſed & literas accepiſſe, quem Theut appellabant, quemque poſteriores rerum Ægyptiarum ſcriptores antiquiſſimum faciunt, (*g*) & ab eo, quem Moeri Regi ſucceſſiſſe Marshamus ex Syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes & inventa coluit & conformavit, libriſque quadraginta duobus humana divinaque omnia comprehendit, tum vel priores reſtituit leges, vel condidit novas. [*h*] Atque huic vulgo aſſignatur commentitius ac male ſartus ille Pimander. Porro ante paſtorum colluviem, quæ ſe in Ægyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur, Thebis ſcilicet, Memphi, & Heliopoli, quam a paſtorum dominatione liberatam, Amoſis qui Regum Ægyptiorum primus Heliopoli præfuit, legibus munivit, & tribunal conſtituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum ſingulæ dabant, de quibus unus ceteris & auctoritate in conſiliis, & gratia apud Regem, & dignitatis inſignibus præcellebat: etenim e collo catena ſuſpenſam aurea gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam, [*i*] cunctiſque judicibus in conſilio leges omnes, octo deſcriptæ libris, proponebantur. Horum leges & inſtituta Pythagoras tranſtulit ad Crotoniatas. Hinc e Magna Græcia, ubi divinæ ille locavit ac humanæ fundamenta ſapientiæ, facta ſunt civilis doctrinæ juriſque divortia, legeſque ab ejus diſcipulis ad finitimos populos traductæ fuerunt e Pythagorica ſchola: quorum celeberrimi ſunt duo, Charondas [quem plerique Thuriis leges tuliſſe volunt] & Zaleucus, qui Locrorum regimen conſtituit; ac ambo ſanxerunt, ut, qui leges proponerent novas, capite plecterentur, niſi legibus ſuis univerſorum civium utilitati conſulerent; ac Zaleuco non mortuo tantum, ſed & vivo atque videnti, cives mactarunt victimas, & oraculi juſſu divinos honores habuerunt, ſicuti Scythæ Zamolxi eorum legislatori, Pythagoræ ſervo, qui dominum in Ægypti peregrina-

(*a*) Plin. *hiſt. lib. 7. cap. 56.*
(*b*) Herodot. *lib. 3.*
(*c*) Diodor. Sicul. *lib. 1.*
(*d*) Plin. *lib. 7. cap. 56.*
(*e*) Diog. Laer. *in proœm.*
(*f*) *De natura Deor. lib. 3.*
(*g*) Marsham. *ſec. 1.*
(*h*) Clem. Alex. *Strom. lib. 6.*
(*i*) Diodor. *lib. 1. pag. 48.*

gratione ſequutus, quos inde arripuit ritus & inſtituta, tranſtulit ad ſuos.

Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides & Zenon Eleatis. His conſimiles legislatores prodierunt Eudoxus, a quo Gnidii, Androdamus Rheginus, a quo Chalcidenſes, qui ſunt in Thracia. Verum legum latorum omnium celeberrimi & prudentiſſimi fuere Phoroneus Inachi filius, Græcorum Regum antiquiſſimus a quo exuti feritate & in urbem coacti, & legibus fuerunt inſtituti atque educati, Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon.

Minos (Gnoſſium intelligo, non eum, qui Apolloniæ regnavit, ut ex Platone Strabo & Valerius Maximus colligunt) nono quoque anno Jovis antrum ſubire ſolebat: unde prodiens decreta & leges in eo receſſu conditas Jovis nomine proponebat; unde Homero: ἐννέωρος Διὸς μεγάλου ὀαριστὴς dicitur, & Platoni in Minoe: φοιτῆσαι εἰς τὸ ἄντρον τοῦ Διός. Lycurgus in Cretam profectus Minois inſtituta cognovit, & eorum multa in ſuas tranſtulit leges, quas Lacedæmoniis promulgavit, ac, ne ſuum ei numen deeſſet, eas Apollini aſſignavit. Quas leges, utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam inſtitutas, Plato & Ariſtoteles agreſtes cenſuerunt & aſperas. Athenæ vero, qua ex urbe omnis fluxit humanitas, & morum atque ſermonis elegantia, poſt ejectos Reges diuturnis jactatæ ſeditionibus, nec dum firmis radicibus in populari ſtatu conſtitutæ, ac præter paucas, quas tulerant Reges, nondum certis legibus illigatæ, acceperunt eas a Dracone, qui auctoritate magis quam legibus ſuis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam ſeveritatem ad feritatem deflectebat; ac minime congruebat humanæ imbecillitati naturæ, quam ille voluiſſe videtur extinguere, cum vel minima crimina maximis exæquaret, quas leges ipſa ſeveritas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus pœnam capitis minarentur; levibus autem erroribus vel ſapientiſſimi ſint obnoxii; nemo tuebatur id quod omnibus erat æque formidandum: ideo per ſe concidit, quod nemo populi, neque ullius magiſtratus auctoritate fulciebatur.

Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo æſtimabat, ac ex omni vitio quodlibet maleficium oblata facultate putabat erupturum, quæ fuit ratio Stoicorum. Quærenti autem cuidam, cur omnibus delictis capitale ſupplicium ſtatuiſſet; reſpondit, ſe delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxima vero nullam pœnam invenire morte majorem: Τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήματα θανάτου ἄξια νομίζειν, τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν.

Hinc & otium pœnæ obſtrinxit, exemplo forſan Ægyptiorum, a quibus Solonem hanc tranſtuliſſe legem in ſuas Herodotus tradit; nempe ut ſinguli ſuum vivendi genus apud magiſtratus profiterentur; cum legem Pollux *de otioſis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solone otii tertio damnatum infamia puniri ſcribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent, quod quiſque vivendi genus inſtituiſſet, & in eos, quos otioſos effendiſſent, animadverterent. Theophraſtus vero τὸν τῆς ἀργίας νόμον, *legem de otioſis* Piſiſtrato aſſignat. Ceterum propter earum ſeveritatem Draconis leges natæ dicebantur a ſanguine.

Quas tandem novis conditis legibus abrogavit Solon poſtquam ab Athenienſibus Archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Iſque cum Rempublicam [*a*] accepiſſet inteſtino morbo laborantem; & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, &, pro tributa ſibi a Populo poteſtate, magiſtratus, conciones, judicia; curias, numero tempore munereque diſtinxit, juraque cum privata, tum publica, ſuis legibus definivit, & ſenatum Areopagiticum, graviſſimum illum & pervetuſtum, conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant atque novem Archontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil reliquit præter examen reorum. (*b*) Senatum præterea decretis ante comitia Populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum æs alienum ferocientem comprimeret. Utque Ariſtotelis teſtimonio concludam, Solonem, ait

(*a*) Plutarch. *in Solone.*
(*b*) Suid. *verb.* Ἄρχων.

ait ille, *Senatum & magistratuum electionem pristinam minime sustulisse*; sed omnibus judicandi potestate tributa Populi tenuisse voluntatem. Itaque mistum regimen instituit, quod deinde conversum est ad popularem statum. Solon autem suas a Draconis legibus non re solum, sed vocabulo quoque discrevit; appellatæ namque sunt Draconis leges θεσμοὶ, sive sanctiones, [*a*] vel, ut ab aliis exponitur, instituta: Solonis vero νομοὶ, sive leges. Eandem rempublicam postea Pisistratidarum tyrannide dissolutam; iis expulsis, & novis additis legibus, composuit Clisthenes, & secundum hunc leges aliæ conditæ sunt, Aristophane, Diocle aliisque rogantibus; aliæ a Demetrio Phalereo, cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suidas Æschylum & Thaletem.

Ex Athenienſium autem legibus magnam partem manavit Jus Romanorum, in quo versamur; quamvis non translaticio, sed suo proprio ac peculiari jure urbs fuerit usa sub Regibus, a quibus de sacris; & de publico privatoque jure latæ sunt leges, nempe a Romulo, Numa, & Servio Tullio, quorum primus naturæ jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii, & parentum jura stabilivit: alter jus gentium expressit, ac de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de sepultura, leges aliquot promulgavit, præter ritus & cæremonias, & sacrorum religionem, quæ fere omnia ab ejus institutione profluxit: postremus majorem operam ad Jus civile contulit, & de contractibus ac delictis quinquaginta rogavit leges: [*b*] item & de fœnore, de nexis & de ære alieno. Quæ omnia in unum volumen contulit Sext. Papirius, unde jus Papirianum, de quo librum conscripsisse Gravium Flaccum auctor est Paullus Juris consultus (*c*). Quod jus exactis Regibus exolevit. Imo lege Terentia fuisse abrogatum. Hotomannus (*d*) ex Pomponio scribit. Josephus vero Scaliger putat, leges Regias minime fuisse sublatas, sed conjectas in tres priores XII. Tabularum, quam conjecturam auctoritate tuetur Livii: (*e*) *Fœdera* (inquit) *& leges* (*erant æreæ XII. Tabul. & quædam regiæ leges.*) *conquiri, quæ comparerent, jusserunt.* Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui, L. Bruto Trib. Celerum ferente, censet eas tantum sublatas, quæ ad regiam dominationem stabiliendam pertinebant.

Et Marcellus (*f*) *lib.* 28. *Digest.* tradit, ex lege regia descendere, ut non ante humetur mulier, prægnans, quam partus excindatur. Verum crescente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi atque injuria pro natura multitudinis æstuante, prudentiores nova morborum semina novis opprimenda consiliis censuerunt. Cumque solis moribus & repentinis, ut ita dicam, legibus Populus regeretur, fixo & perpetuo jure componendam ac in posterum firmandam rempublicam existimarunt. Cum igitur C. Terentius Arsa Trib. plebis, ut Consulum in plebem immoderatam potestatem imminueret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges consulari Imperio perscriberent, creandis, eaque deliberatio variis contentionibus per decennium extracta fuerit, & post impetratam duplicandorum Tribunorum plebis potestatem intermissa, revixit tandem Romilio Veturioque Coss. in plebem Romanam, quæ militiam detrectabat, impotentius dominantibus. Hinc anno ab U. C. CCC. Spurio Tarpejo & A. Terminio Coss. res ad Senatum delata est, & ex sententia P. Romilii factum Senatusconsultum, [quod deinde fuit Plebiscito confirmatum,] ut tribus triremibus, pro majestate Imperii Romani magnifice instructis, legati per Italiam & universam Græciam petitum leges mitterentur: creatique sunt Sp. Posthumius, Sextus Sulpicius, A. Manlius, qui utiliores civitatum singularum, ac Athenienſium potissimum, leges describerent: (*g*) nonnullas a Lacedæmoniis fuisse sumtas, Athenæus [*h*] & Ammianus [*i*] Marcellinus & Tribonianus [*k*] tradiderunt. Igitur leges in urbem delatas Decemviri, ad

(*a*) Ælian. *Var. hist. lib.* 8. *cap.* 10.
(*b*) Dionys. Halic. *lib.* 4.
(*c*) L. 144. *de V. S.*
(*d*) *Observ. lib.* 1. *cap.* 1.
(*e*) *lib.* 6.
(*f*) *Leg.* 2. *ff. de mort. infer.*
(*g*) Cicero *lib.* 2. *de legibus.*
(*h*) *lib.* 6. *in fine.*
(*i*) *lib.* 16.
(*k*) *Instit. de jure natur. gent. & civ.* §. *ult.*

ad quos jussu populi earum componendarum potestas, & Consulum atque magistratuum auctoritas omnis redacta erat, in decem tabulis digesserunt, partim integras, quales acceperant, partim emendatas, & ad urbis mores populique consuetudinem conformatas, adhibito in consilium Hermodoro Ephesio, in Italia tunc temporis exulante, qui Romanis ejus legationis auctor fuit, quemque plurimum ei negotio contribuisse ac aliquas etiam leges Romanorum condidisse, accepimus a Strabone. Quo pertinet omen illud Heracleti, qui, ad Hermodorum scribens, speciem sibi, ait, oblatam in somnis orbis universi venerabundi, & ad illius leges, Persarum more compositis ad osculum labiis, procumbentis. Ὄναρ ἐδοκουν, πᾶσι σοῖς μύθοις προσπεσὼν παρὰ πᾶσης τῆς οἰκουμένης δεξιώματα φροσπεναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκλέσοντας τὸ σῶμα, φροσκυνεῖν αὐτὸν.

His autem tabulis publice propositis, facta unicuique objiciendi & corrigendi potestate, posteaque omnium consensu probatis, ut corpus integrum Romani Juris absolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque Senatusconsulto, capitis auspiciis, accitis Pontificibus & Auguribus, Comitiis centuriatis leges universi sciverunt. Quod Jus ad omnium notitiam & utilitatem æneis incisum tabulis fuit, & in foro jussu populi collocatum. Mos hic incidendarum legum descendit a Corybantibus, qui columnis insculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon (*a*) in ligneis incidit tabulis, quas ἄξονας καὶ κύρβεις appellarunt: cum ante tabularum usum ediscerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriæ (*b*) mandarent. Quamvis autem Pomponius XII. Tab. eboreas (quæ lectio est Florentini Codicis) sive, ut fortasse legendum est, roboreas fuisse scripserit; tamen id de iis accipiendum est tabulis, quæ populo emendandæ, non de iis, quæ in perpetuum observandæ, propositæ fuerunt; nisi vel Triboniani audaciæ hujus loci vitium assignemus, vel Pomponium adversus omnium veterum auctoritatem loquutum esse faciamus. Id autem Jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem sane concinnam, tum propter summam æquitatem, atque prudentiam, rerumque pondus & majestatem, universam continere sapientiam, ac omnium philosophorum doctrinam gravitate superare putabatur. [*c*] Hujus Juris fragmenta complures antiquitatis & juris civilis studiosissimi diligenter vestigarunt, ac, e variis scriptoribus eruta, in antiquum ordinem, prout conjectura ferret, tribuerunt: omnium autem diligentissimam his colligendis, disponendis ac interpretandis operam navavit Jacobus Gothofredus, cujus ordinem atque judicium nobis, dum in his versabimur, merito proposuimus.

Prima Tabula rationem instituendi judicii tradebat, cujus primum caput [*Si quis in jus vocat, atque eat,*] veluti solemne carmen vel pueris in ore fuisse; scribit Cicero, (*d*) ac in jus vocatum confestim sequi jubebat. Hæc ampla definitio pluribus exceptionibus a Prætore circumscripta fuit. Ex multis, quas huic capiti attexuit Cajus, duæ [*e*] supersunt: altera, Ne quis de domo sua: altera, Ne impubes (*f*) puella alieno juri subjecta in jus vocetur. Cum quis autem in jus vocatus sequi nollet, tum actor eos, qui aderant, testes vocabat: quod *antestari* dicebatur, sive *ante testari*; vel ex *am*, quod *circum* prisce significat, eos testari, qui circum sunt, prehensa auricula, adjectoque hoc verbo, *memento*: & si fugeret reus, vel obniteretur, tum actor injecta manu eum in jus obtorto collo rapiebat, eaque *manus injectio* dicebatur. Qui mos omnis ex Athenienſium jure descendit. Exemplum enim extat apud Aristophanem in Vespis de antestatione, & de manus injectione in comœdia palliata Apollodori a Terentio conversa, quæ inscribitur Phormio.

DE. *In jus eamus.* PH. *In jus? huc, si quid lubet.*
DE. *Adsequere, ac retine, dum ego huc servos evoco.*
CH. *Etenim solus nequeo: accurre huc*
PH. *Una injuria est*
Tecum. CH. *Lege agit.* PH. *Altera est tecum Chreme.*
DE. *Rape hunc.*

Et

(*a*) *vide* Petit. *ad leg. Attic. in princip.*
(*b*) Aristot. *problem.*
(*c*) Cicero *de orat.*
(*d*) *lib.* 2. *de legibus.* Cujac. *lib.* 7. *cap.* 16.
(*e*) *Leg.* 18. *ff. de in jus vocand.*
(*f*) *Leg.* 22. *ff. de in jus vocand.*

Et apud Lucianum in Δικαστηρίοις. Ἔπε μιαρὲ πρὸς τὸ δικαστήριον. Μή ἀγχων με, *Veni sceleste in jus. Ne me strangules.*

Secunda Tabula, cujus primum caput intercidit, & de judiciis erat, ac, ut ex 2. cap. conjicere licet, habebatur de judicio constituendo, & dandis vadibus, qui fidejussores erant rei judicio sisti; & subvadibus, qui actoris fidejussores erant, ac de committenda pœna, si judicium desereretur, quæ Athenienſium lege mulcta erat decem drachmarum; quam legem laudat Ulpianus ad Demosthenis Midianam: quæ pœna legitimis excusationibus evitabatur: unde aliud caput de justis vadimonii deserendi caussis conceptum est, cujus verba retulit Ulpianus, ubi propter judicis (*a*) aut reorum morbum fonticum judicii dies diffinditur, sive proditur: differtur: item & propter publica vota. Quamvis enim Cajus (*b*) vota tantum commemoret de salute Principis, de quo nulla in XII. Tabulis esse mentio potuit, tamen credendum est, caput XII. Tab. de votis pro reipublicæ salute suscipiendis in Principem, ut sua tempora ferebant; a Cajo esse conversum.

Publica etiam utilitas excusabat eum, qui aberat reipublicæ caussa. Huic attexit Gothofredus tractationem de furtis. Ac incendiarium furem, si se telo defenderet, XII. Tabul. occidi voluerunt impune: nocturnum autem post imploratam pupularium fidem, quod *quiritare* dicebatur, quoquo modo interfici permiserunt, quod etiam fuit e Solonis lege deductum: εἰδέ τις νύκτωρ ὀπῖιν κλέπτοι, τὸτονἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. *Si quis de nocte furaretur, licere eum occidere.* Ac sicuti Solonis lege balinæorum fures gravius puniebantur, &, si decem drachmas excederent, capite plectebantur; ita & turpius notabantur apud Romanos. Catullus:

O furum optime balneariorum.

Ad eandem tabulam pertinet titulus *ff. Arborum furtive cæsarum*, quam actionem ex legibus XII. Tab. descendere Paullus scribit *l.* 1. *eod.*

Tertia Tab. erat de rebus creditis, & ex caussa depositi actionem dabat in duplum, usuras ad unciam coercebat: nam ex sententia Catonis *fœnerari est hominem occidere*. Quæ lex e Romanis tantum profluxit moribus, minime vero ex Athenienſibus, ex quibus nullus erat usurarum modus, nisi quem contrahentium lex posuisset. Peregrinos perpetuata civibus actione a jure usucapionis arcebat: ei, qui vel debitam confessus, vel in judicio damnatus esset, triginta dies ad pecuniam contrahendam, & judicatum faciendum præstituebat: eumque permittebat actori vel vinciendum, vel in privatum carcerem conjiciendum, ex quo nexorum nomen ortum est, vel pluribus creditoribus addictum tertiis nundinis, sive vicesimo septimo die pro cujusq; portione secandum, vel trans Tyberim venundandum.

Quarta Tabula progrediebatur ad jus patrium, quod apud Romanos præ cæteris gentibus erat imperiosum. Siquidem lege Regia Romulo adscripta, deinde in XII. Tab. conjecta, patri jus erat in filio vitæ & necis, atque adeo venundandi, ita ut semel atque iterum venundatus in patris potestatem recideret, nec ante tertiam manumissionem naturalem libertatem legibus ademtam recuperaret. Quod jus quamvis scriptores fere omnes a Romanis arcessant; tamen repeti posset altius ac ex parte saltem ab Athenienſibus; apud quos non lege quidem, sed moribus ante Solonem obtinuerat, ut patri jus esset vendere filium, quod tradit Plutarchus in *Solone*; (*c*) a quo ademta patri potestas est vendendi filiam, nisi forte in stupro deprehensam. Eadem Tabula pater cogebatur recens natum infantem insignem ad deformitatem confestim necare; isque legitimus constituebatur posthumus, qui decem mensibus proximis natus esset.

Quinta pertinebat ad testamenta & legitimas successiones, eaque liberam cuique tribuebat potestatem super re sua testandi, sive [quod idem apud veteres valebat] legandi. Quod caput priscæ locutionis ignoratione depravatum restituit ex Pandectis Pisanis Cujacius, qui, pro *super pecunia tutelaque rei suæ*, reposuit *super pecuniæ tutelæque rei suæ*, sumto secundo pro sexto casu, more Græcorum, quem adhuc veteres illi ex linguæ cognatione retinebant.

Latissima hæc ex XII. Tab. inducta testandi

(*a*) *Leg.* 2. §. 3. *ff. Si quis caution.*
(*b*) *Leg.* 233. *ff. de V. S.*
(*c*) *vide* Petit. *Ad LL. Atticas lib.* 1. *tit.* 5.

testandi facultas sequentibus temporibus variis præcisa legibus fuit, quas exponemus latius in secundo *de originibus* libro, ac earum præcipua erat lex Furia *de testamentis*, quæ, præterquam certis personis, vetabat cui supra mille asses legare, vel mortis caussa donare. Voconia *de mulierum hereditatibus*, ne, qui census esset, sive centum millia sextertium possideret, virginem aut mulierem supra quadrantem institueret, plusve legaret, quam ad heredes transmitteret. Velleja, quæ rationem tradidit exheredandi aut instituendi nepotem. Ælia Sentia, quæ, nisi certis conditionibus, aut intra certum numerum, manumissiones testamento fieri vetabat. Papia, quæ pluribus capitibus jura testamentorum immutavit ac facultatem testantium coercuit, orborum præcipuæ ac cœlibum: cum ea lex incitandis nuptiis lata fuisset. Falcidia, de quarta per heredem detrahenda. Quibus omnibus, præter Falcidiam, Justiniani lege sublatis, jus XII. Tabulis plane revixit. Hac etiam Tabula suus natura heres non constituitur lege, sed tantum significatur: propterea quod naturalis ratio, ut Paullus ait, quasi quædam tacita lex, liberis parentum hereditatem addiceret: [*a*] atque hinc *suorum* nomen est ortum in jure civili. Post suos heredes familiam sive agnatos vocabat, post agnatos gentiles, quorum deinde jus exolevit. Romani enim gentem & familiam retinebant. Ex gente plures familiæ, ut ex familia Ciceronis domus duæ, Quinti & Marci: singuli autem, communi gentis & familiæ appellatione conjuncti, prænomine distinguebantur. Cum successionibus Decemviri tutelæ quoque jura & curam furiosorum conjunxerant: contra quam constituerat Solon, qui noluit pueros fraudibus eorum permittere, qui agnationis jure ad pupillorum hereditatem vocabantur; ne lucri cupiditas agnatorum animos ad necem [*b*] pupilli converteret; cum Athenienſibus æque atque Romanis tutela jus esset & potestas in capite libero: unde Æschines ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχυ eos vocat παίδων κυρίους, *puerorum dominus*, Præterea libertorum bona, si sine liberis obiissent, patronis eorumque *libertis*, item & tutelam detulerunt, & obligationes hereditarias inter heredes pro portionibus hereditariis ipso jure divisas esse jusserunt, capite *de ercto cito*, erctum est [*c*] indivisum, coercitum: quod a coercendo dictum voluit Festus. Huic affinis est græca vox ἐρυζειν: *citum* autem Donatus exponit divisum, ac deducit a *ciendo*: ex quo capite prudentum interpretatio collegit legatarios hereditariis creditoribus minime teneri, cum lex XII. Tabul. solos heredes huic oneri obstrinxerit. [*b*]

Sexta rationem dominii transferendi tradebat. Dominium enim jure civili nonnisi certis adhibitis solemnitatibus & formulis, in alium transibat. Et quoniam mancipii sive dominii jure non censebantur, nisi vel quæ ad manum essent, vel Italica prædia, [provincialia enim, utpote obnoxia tributis, & publico devincta jure, propria civium Romanorum non erant] res mancipi Decemviri voluerunt in alterius dominium pervenire, vel mancipatione, sive venditione quadam imaginaria, libri pende adhibito & quinque testibus civibus Romanis puberibus, vel in jure cessione apud magistratum Pop. Rom. Pretorem aut Præsidem provinciæ, dicente illo, cui ceditur: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*, quibus verbis eum sibi vindicabat: ac Prætore interrogante illum, qui cedit: *an contra vindicet?* quo tacente aut negante res addicebatur, vel usucapione per legem XII. Tab. inducta, *ut usus auctoritas fundi biennium, ceterarum rerum annuus usus esset*. Unde, qui bona fide emerat, biennio rei immobilis, anno mobilis dominium jure civili nanciscebatur; ut etiam, si vir muliere ingenua integrum usus esset annum matrimonii caussa, eam sine nuptiarum solemnibus, usu tantum, ut & res alias mobiles, faceret suam, nisi a viro trinoctium abfuisset: quo spatio usurpabatur sive interrumpebatur legitimus usus. [*e*] Cæterum *usucapio* idem est ac *usus auctoritas*, nempe jus legitimi dominii usu quæsitum. Nam ante Justinianum nuda traditione dominium rerum mancipi minime

trans-

(*a*) *Leg.* 7. *ff. de bonis damnator.*
(*b*) Petit. *ab ll. Attic. lib. septimo de tutel.*
(*c*) Salmas. *in Solon.* pag. 1261. *& sequent.*
(*d*) *Leg. ultim. Cod. de hereditar. action.*
(*e*) Gell. *lib* 3. *cap.* 2. Cujac. *ad leg.* 2 *ff. de Usuc. & usurp. sive ad lib.* 54. Paull. *ad edict.*

transferebatur, nec ejusdem dominii communio ulla esse poterat cum hoste, sive cum peregrino, quem veteres *hostem* vocabant: unde per hanc Tabulam adversus hostem, & de re furtiva, æterna erat auctoritas: sive nec usucapi ab ullo res furtiva, nec usucapere quicquam peregrinus poterat. Hujus enim juris cives Romanos tantum leges participarunt. Et quoniam res emtori tradita sine his juris civilis solemnitatibus venditoris & emtoris erat in solidum; ideo venditor quiritarius, emtor bonitarius dominus appellabatur; quod discrimen dominii fuit Justiniano sublatum. [*a*]

Per mancipationem autem res mancipi tantum abalienabantur: in jure vero cessione res etiam nec mancipi [*b*] sive possessiones prædiorum vectigalium & tributariorum, quorum proprietas sive mancipium penes populum Romanum erat; ideo a privatis per mancipationem transferri non poterant; sed tantum per cessionem in Jure: quarum rerum ususfructus & possessio transferebantur eodem statu, quo erant apud priorem dominum. Mancipatio vero a nexu hoc differt, quod quælibet mancipatio nexu constat: quod autem nexu fit non continuo dicitur mancipatio. Multa enim nexu expediuntur, nec tamen mancipari dicuntur, nempe pignorum obligatio, testamenti factio, (*c*) & quicquid geritur per æs & libram: quod omne nexus nomine comprehenditur. Igitur quicquid expressum in mancipatione fuisset & nexu Decemviri a venditore præstari voluerunt.

Jurisconsulti vero ex legis mente præter ea, quæ venditor expressisset, si quæ prædii vitia reticuisset, pro eorum æquitate præstanda censuerunt. (*d*) Agebatur & hac Tabula de vindiciis, quæ, lites erant de possessione, ut sacramenta de proprietate. Vindiciaque vocabatur fundi gleba e prædio ad Prætorem delata. Initio enim litigatores conferta sive correpta manu ex jure simul cum Prætore ad prædium, de quo erat controversia, proficiscebantur in rem præsentem; sed cum in dies Prætor majoribus occupationibus distringeretur, nec posset his, ut antea, vacare; tantum litigatores ex jure in prædium contendebant, indeque glebam evulsam, quasi fundi simulacrum, in jus Prætori ferebant, ut ejus esset fundi possessio, cui glebam Prætor addiceret. At ne his supervacaneis actibus judicia impedirentur, excogitata fuit a jurisconsultis imago quædam priscæ profectionis & verborum solemnitas, ut verbis deinceps redderetur, quicquid facto antea præstabatur: cujus hæc erat formula: *Fundus qui est in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum esse ajo: inde ego te ex jure manu confertum voco.* Citatus vero reus respondebat: *Unde tu me ex jure manu confertum vocas, inde ego te revoco.* Tum Prætor: *Utrisque superstitibus præsentibus istam viam dico: inite viam.* Hic aderat, qui diceret, *Redite viam.* In qua formula Cicero pro *Muræna* mirifice cavillatur. Tignum præterea, cujus nomine venit omnis materia ad fabricandum idonea, junctum concapi [ut Gothofredus restituit] sive vindicari & solvi, hæc Tabula minime permittebat, ædificiorum & vinearum conservandorum gratia; sed adversus eum, qui alienum junxerat, actionem dabat in duplum. Viris ad repudium uxorum causam addendam præcipiebat. Nec tamen jure repudii Romani sunt usi, nisi sexcentesimo demum anno post urbem conditam, ut Tertullianus libro *de monogamia* scribit. Primumque divortium a Sp. Carvilio factum fuisse, Dionysius tradit. (*e*)

Jus repudii erat etiam apud Athenienses. Hoc tamen intererat, quod apud Romanos, quantum ex auctoribus conjicere licet, in solo viro positum erat nuptias dissolvere, idque addita caussa. Apud Athenienses vero utrisque arbitrium. [*f*]

In septima Tabula delictorum pœnæ describebantur: eaque illatum damnum vel pastu pecoris, vel a quadrupede feritate commota, reficiebat: aut enim æstimationem damni præstandam, aut quadrupedem noxæ dandam imperabat, ut de cane, qui momorderat. Solon constituerat: sanxit enim, ut quatuor cubitorum catena vinctus noxæ daretur. Præterea fruge furtim pasta vel secta, facinoris auctorem Decemviri suspensum, Cereri necandum jusserunt. Impuberem Prætoris arbitratu

(*a*) *C. de nudo jure Quirit. tollend.*
(*b*) Rævard. *ad LL. XII. Tabul. hoc tit.*
(*c*) Rævard. *ibid. tit. de mancipat.*
(*d*) Cicer. *in Topic.* Rævard. *ad LL. XII. Tab. c. 16.*
(*e*) *libro secundo vide* Cujacium 1. *observ.* 39.
(*f*) Petit. *lib. 2. tit. 3. ad leges Atticas.*

bitratu verberandum, noxam duplione luendam. Frumentum in ædibus vel ad ædes positum, si alicujus opera conflagrasset; eum; qui sciens prudens commisisset, verberatum igni necandum: si casu id esset factum, noxam sarciendam: si non esset idoneus, levius castigandum. [*a*] Oris autem percussionem viginti quinque assibus mulctandam. Unde scelestissimus quidam, servum pecunia oneratum ducens, ut quisque fieret obvius, os percutiebat præsentique pecunia se judicio liberabat. Ideo ne levitate pœnæ lex contemneretur, mulcta hæc exolevit & graviori cessit; injuriis enim æstimandis postea recuperatores a Prætore dabantur. Sequitur frugum incantatio. Cum enim veteres illi, omnium bonarum artium & disciplinarum rudes, putarent, fruges carminibus magicis vel averti posse, vel traduci, [ut enim Tibullus ait,

Carmen vicinis fruges traducit ab agris]

ideo Decemviri pro sua puerili ac ridicula superstitione sanxerunt. ut, qui fruges *excantassit*, sive carminibus magicis crescere prohibuerit, aut segetem alienam pellexerit, Cereri sacer esset.

Famam quoque alienam legibus tegere Decemviri volverunt. Nihil enim iniquius putarunt, quam civium nomen permittere scurris, nebulonibus, ac poetastris, quibus optimi cujusque virtus est invisa ideo fuste feriri, sive ad necem cædi [*b*] voluerunt eum, qui pipulo, id est convicio, *occentassit*, sive obstrepuisset carmenve condidisset, quod infamiam faxit flagitiumve alteri. [*c*] Nam, ut præclare Tullius in libris *de republica* apud Divum Augustinum, (*d*) *Judiciis & magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & judicio defendere.* Qua ratione apud Athenienses cum auctores veteris comœdiæ summa conviciorum libertate nullo boni malive discrimine, omnes incesserent, ac ne Principibus quidem parcerent civitatis: lata lex primo est, ne magistratibus fieret in comœdia convicium: deinde vetitum, ne quisquam nominatim jocis & conviciis perstringeretur. Eadem Tabula coercebatur fraus tutoris adversus pupillum duplionis mulcta, itemque patroni adversus clientem, quod de Romuli legibus sumtum fuit; iis enim jubebantur patres suscipere plebejorum patrocinium. Constituit enim inter utrosque officiorum vicissitudinem & mutuam gratiam; ut patricii plebejos de urbanis rebus admonerent, in judicio atque extra judicium præsentes absenteque defenderent: contra plebeji patriciorum clientes essent ac patronos ad collocandas filias inopes, & æs alienum dissolvendum, vel ad eos ex hostibus redimendos proprio ære adjuvarent, honores & magistratus adeptos observarent, ac deducerent & reducerent: patroni vero qui clientem accusassent, aut contra illum suffragium testimoniumve tulissent, proditionis erant rei, & tanquam prævaricantes, sacri erant Cereri, sive Cereri devovebantur; ut, qui eos occidissent, pie feciss, ac infero Jovi hostiam mactasse putarentur. Quem enim Romani occidi volebant impune, hunc postquam alicui Deo devovissent, sacrum dicebant.

Testis qui alicui negotio interfuisset, ac postea testimonium edere detrectasset, per hanc Tabulam intestabilis efficiebatur: & parricida, qui liberum hominem occidisset, malumve venenum propinasset, habebatur. Quique parentem necasset, insutus culeo, capite obvoluto, in profluentem dejici jubebatur, exemplo supplicii, quo Tarquinius Rex affecit M. Tullium Duumvirum, qui liberum de arcanis civilium sacrorum sibi ab Rege creditum Petronio Sabino describendum tradiderat. (*e*) Ibidem simiam, gallum gallinaceum, & viperam includebant.

Octava Tabula jus prædiatorium proponebat, ambitum parietis, sive iter quod circumeundo teritur, sestertio nempe duobus & semisse, viæ latitudinem octo pedibus in porrectum, sexdecim in anfractum, sive ubi flexum est, definiebat. (*f*) Per viam immunitam jumentum agi permittebat. (*g*) Aquæ pluviæ arcendæ, item &

(*a*) *Leg. 9. ff. de incend. ruin. naufrag.*
(*b*) *Leg. 7. §. 1. ff. ad leg. Aquil.*
(*c*) Jacob. Gothofr. *hic.*
(*d*) *lib. 2. de civitate Dei cap. 9.*
(*e*) Valer. Maxim.
(*f*) *Leg. 8. ff. de servit. rust. præd.*
(*g*) Cicer. *pro Cæcin.*

glandis, cujus nomine fructus veniunt omnes, in vicini fundum delapsæ colligendæ, atque arboris in proximum fundum ramis excurrentis pedes decem a terra altius coercendæ potestatem dabat. Finibus quoque regundis modum constituebat, exemplo legum Atticarum, quarum rationem diserte descriptam prodidit Cajus, (*a*) & elicitur ex Cod. Teodos. (*b*) ubi ex legibus XII. Tabul prohibetur usucapio quinque pedum confinibus fundis interjectorum. Est aliqua inter duos illos locos lectionis discrepantia, de qua seorsum alias differemus. De collegiis etiam sancitum eadem Tabula erat, permissumque sodalibus ut, quam vellent, sibi legem ferrent, dum ne publicis legibus adversaretur. (*c*) Quod e Solone translatum esse, Cajus notavit.

Nona Tabula, quæ de jure publico erat, ex Solonis etiam præscripto privilegia, sive leges in privatum irrogari, & de privato rogari vetabatur. Porro privilegii nomen alio trahitur a Jurisconsultis, quam in XII. Tabul. accipitur; quippe porrigitur ad leges eas, quibus aut juris civilis asperitas nova æquitate dumulcetur, aut de certis personarum generibus aliquid novi lege constituitur. Præterea de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis per hanc Tabulam ferri minime licebat; ideo Quæstores parricidii constituebantur a Populo, qui capitalibus rebus præessent. (*d*) Quorum in judicando fides pretio erat addicta, & in quorum judiciis non ratio, sed pecunia versabatur, his capitale supplicium erat hac Tabula decunciatum. [*e*] Præterea nexis ex quacunque causa alteri deinde solutis: item *forti*, sive qui semper in fide Populi Romani, steterat; & *sanato*, sive qui defecerat, deinde redierat in fidem, ejusdem juris communio concedebatur. Quod & Athenis olim jus viguisse Plutarchus auctor est in Theseo. Πᾶσι τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι.

In decimam Tabulam sacrum jus conjectum fuerat. Et primum omnium juramentorum religio constituebatur, in qua omnia Romana instituta nitebantur. Deinde subnectebantur jura sepulcrorum, omnia fere de Solonis petita legibus: veluti modus in sumtibus quos Solon triduano decem hominum labore definierat [*f*] Idemque vetuerat, quemquam in urbe humari: unde & Romanis extra urbem locus sepulturæ dabatur; quod jus Theodosius [*g*] Constantinopoli servari voluit. Sumtuum quoque vitandorum gratia murratæ potionis adspersionem, & servorum unctura atque circumpotationem, & longas coronas, sive quæ sepulcris advolvebantur; [jam diu a servorum funeribus Solonis lege depulsas] & injectionem auri decima hæc Tabula sustulit; nec plus tribus vestibus quadratis, quas ricinias vocabant humari cum mortuo permittebat. Quod ductum fuerat e Solonis legibus: Μὴ τιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν.

Muliebres etiam ejulationes, & miserabiles questus, lacerationemque genarum, & ploratus effusos, quos *lessum* vocabant, exemplo legum Atticarum abesse Decemviri voluerunt a funere. Spatium autem inter rogum bustumque, & ædes alienas tantum LX. pedes probaverunt. Ut ne forum, sive vestibulum sepulcri, & bustum usucapione occuparetur, æternam horum auctoritatem esse jusserunt. (*g*)

Per adjectionem XI. Tabul. patribus cum plebe connubiis fuit interdictum: quodque postremum jussisset Populus, antiquioribus prælatum legibus. Ex Tabul. XII. prohibita fuit rei litigiosæ consecratio & dupli mulcta ferebatur in malæ fidei possessorem, tribus a Prætore rei definiendæ arbitris datis. [*i*] Servus, qui sciente domino furtum fecerat, damnumve dederat, noxalis fiebat. (*k*) Atque hæc fere sunt germana XII. capita, quæ ex corruptis atque semesis verbis collegit Gothofredus, qui ea hoc descripsit ordine. Præter hæc adducuntur ab auctoribus alia, non germana illa quidem, sed vel commentitia, vel conjectura conficta, & ad veteres earum sententias a priscis scriptoribus proditas accommodata, de quibus in latioribus *Originum* libris, si vita suppetet, fuse disputabimus.

Pro-

(*a*) *L. ult. ff. de fin. regund.*
(*b*) *Leg. quinque pedes de fin. regund.*
(*c*) *L. ult. ff. de colleg.*
(*d*) *L. 2. §. 16. & 23. ff. de O. J.*
(*e*) *L. 5. C. Theodos. ad leg. Jul. repet.*
(*f*) *Late* Petit. *ad leg. Att. pag. 496.*
(*g*) *L. 6. C. Theodos. de sepulcr. violat.*
(*k*) Cicer. *de leg.*
(*i*) Festus *in verb. Vind.*
(*h*) *L. 2. §. fin. ff. de nox. action.*

Propositis autem XII. Tabul. his quidem patebat omnibus, at usus illius, & ratio, qua quisque suum persequeretur, a populo ignorabatur. Quamobrem inventi sunt, qui leges redderent actuosas, & tractandi juris instrumenta ex arcana disciplina depromta civibus ministrarent. Unde constituti sunt a prudentibus certi quidam juris exercendi ritus, quorum solemniores legis actiones vocarunt, certisque verborum conceptionibus, quas formulas appellabant, cujuscunque contractus vim & actus omnes exceperunt. Romani enim a primo rudes, quicquid agerent, certis signis atque verbis mentem circumscribebant; quasi nihil satis expressum foret & constitutum, nisi certis signis & verbis esset adstrictum & obligatum. Qua religione usque eo tenebantur, ut nihil justum ratumque haberent, nisi quod suis esset ritibus expeditum. Unde (*a*) in sponsalibus ferreum annulum dabant: in contrahendis nuptiis aquam & ignem adhibebant, sine quibus non fuisse matrimonium, colligitur ex Scævola. (*b*) Putabant enim veteres, ut Varro (*c*) tradit, oriri ex aqua & igne vitam, iisdemque foveri. Unde quem omni prorsus civili vita privabant, ei tanquam e vivis sublato aqua & igni interdicebant.

Uxori domum deductæ, tanquam domina constitueretur, claves tradebantur: (*d*) repudiatæ, tanquam dominio spoliaretur, adimebantur. (*e*) Novum opus solemni jactu lapilli nunciabatur. Liberis emancipatis & servis manumissis colaphos infligebant, eosque circumagebant; unde Persius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Usucapionem, arboris furculum defringentes, interrumpebant: (*f*) quod usurpare dicebatur. Solemnitatem, quæ ad mancipationes adhibebatur, supra demonstravimus. In auctionibus, qui pluris liceret, digitum tollebat. [*g*] In heredis institutione testator annulum heredi tradebat, (*h*) Pignori res dabantur contracto pugno: ex quo apparet, pignus esse proprie rei mobilis, quæ manu [*i*] traditur. Mandatum dabatur exporrecta manu. Hinc quasi manus datio, *mandatum*. (*k*) Stipulabantur autem stipulam tenentes; fractamque redintegrantes, sponsiones quisque suas agnoscebant. In hereditatis aditione digitos percutiebant, quod pluribus locis tradit Cujacius, idque videtur Cicero significare, quum ait lib. *de offic. Si digitis concrepuerit, possit in locupletum testamenta nomen ejus irrepere.*

Hanc autem Pop. Rom. superstitionem in rem suam vertere prudentes, ac singulorum actus & voluntates sibi devinxerunt, solemnibus verborum conceptionibus & formulis, quibus populum habebant obnoxium: cum nihil agere petereve liceret, nisi consultis prudentibus, a quibus ratio & dies exercendi judicii erat efflagitanda. Et quoniam ad exercitium legum & Juris ministerium compositæ fuerant, actiones legis dictæ sunt & actus legitimi, quibus jus civile XII. Tabulis affixum & consignatum deferebatur in forum, & ex umbra in campum atque aciem perducebatur: eaque altera post XII. Tabul. juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. Tabulis mentio manus confertionis & mancipationis: horum autem ritus & formulas, sicuti & cæterorum, prudentes excogitarunt, & in Pontificum condidere penetralibus. Pontifices enim non modo consequentibus temporibus susceptı sunt e media Jurisprudentia; sed initio reipublicæ auctores fuerunt atque custodes juris civilis, cujus interpretatio e Pontificum collegio profluebat; quandoquidem eorum unus operam dabat juri privato civibus suis interpretando, cum reliqui religioni præessent. (*l*) Unde in eorum penetralibus legis actiones & formulæ compositæ a prudentibus asservabantur, antequam populo proderentur a Gn. Flavio, App. Claudi scriba, qui fastos etiam proposuit toto foro, ut pateret omnibus, quando lege agi posset. Quæ

(*a*) Hotom. *observ. lib.* 10. *cap.* 6.
(*b*) *L. penult. ff. de donat. inter. vir. & uxor.* Cujac. *lib.* 11. *observ.* 2.
(*c*) *lib.* 4. *de ling. Latin. ubi* Joseph. Scal. *Et notas.* Goth. *ad leg. penult. ff de donat. inter vir. & uxor.*
(*d*) Plutarch. *in Problem.*
(*e*) Cicer. *Philipp.* 2.
(*f*) Cic. *lib.* 3. *de orat.*
(*g*) Cic. *in Verr.* 3. *& 5.*
(*h*) Valer. Max. *libr.* 7. *cap.* 9. Corn. Nep. *in Eumene.*
(*i*) *L.* 238. *ff. de V. S.*
(*k*) Isidor. *lib.* 5. *Etym. cap.* 34.
(*l*) Cujac. *ad leg.* 2. *ff. de O. J. §. his legib.*

postquam sunt evulgata, Jurisconsulti ad suum ingenium & vetus artificium redierunt, ac tum veteres, tum novas, quas condebant, formulas brevibus notis, sive singulis, aut binis literis, integrum verbum designantibus contraxerunt. Consequentibus enim temporibus alias fuisse pro negotiorum varietate ab iisdem editas formulas, colligitur ex Valerio, (*a*) a quo accepimus, Triumviros proscriptione sua opes vel adimentes veris dominis, vel adjicientes alienis, impetrare non potuisse a Cascellio Jurisconsulto, viro integerrimo, ut formulas componeret, quibus novas bonorum addictiones tueri possent ac ad juris civilis rationem accommodare. Formulas igitur, brevibus illis notis adstrictas & obsignatas, cum nemo explicare posset, præter eorum auctores Jurisconsultos; hinc eos singulis civium negotiis interesse oportebat, nec quicquam sine illorum auctoritate atque consilio suscipi conficique fas erat. Et quoniam singulis interpunctionibus & literis aucupandis irrepere facile poterat error aut dolus; ideo Constantinus, ut captiones recideret, formulas sustulit. Omnesne ac in perpetuum, an potius cum contractæ atque obscuratæ notis essent? Sane Constantinus tantum notarum captiones, non ipsas formulas reprehendit. [*b*] Ex quo Rævardus, contra quam interpretes ceteri censuerunt, colligit, mansisse illa, quæ integris productæ literis essent. Recte ille quidem, si ostenderet alias exstitisse formulas verbis descriptas integris. Quin si scribendi rationem tantum damnare Constantinus voluisset, jussisset, ut ea involucra retexerentur, & priscas formulas retinuisset. Illud ei dederim libens quod ait, causa cecidisse tantum eos, qui decepti formula vel plus petiissent, vel ineptam actionem instituissent, non autem eos, qui una lapsi essent litera, quod ab omnibus tamen traditum est interpretibus. Quo quid inhumanius, quid ab æquitate gravitateque legum Romanarum magis alienum? Potius igitur admiserim, leges, quæ hac de re supersunt, ita esse accipiendas, ut quum in eo verbo, in quo errabatur, discrimen inerat actionum; tum quia errans in litera ineptam actionem instituebat, ac tota errabat ratione judicii, eum a tota prorsus formula cecidisse putemus, atque ideo a causa. Inter actus vero legitimos & legis actiones aliquod discrimen Hotomannus notat, Cujacius nullum: qua de re tota inter eos, quamvis suppressis utrinque nominibus, est acerba contentio: (*c*) cum hic non modo actus legitimos & legis actiones una eademque definitione complectatur; sed ne actus omnes, qui in judicio fiunt, actuum legitimorum nomine veniant, nonnisi eos, quos Jurisconsulti notarunt, admittit; ille contra, legis actiones privatis & magistratibus attribuat, actus vero legitimos privatis tantum: illas ex lege natas omnes faciat, hos etiam sine lege institutos: illas tantum inter præsentes, hos etiam per procuratores expediri contendat: cum Cujacius minime admittat, ullum actum legitimum jure antiquo potuisse mandari. Qua de re nos alibi latius.

Proprium igitur actuum legitimorum fuit, ut solemniter & quadam cum religione, ac in jure apud magistratus exercerentur eos, quibus legis actio data esset. (*d*) Unde apud magistratus municipales emancipationem fieri posse Paullus negat *sentenc.* 2. *cap.* 25. nisi legis actionem haberent. Nec enim omnes magistratus eam habebant, neque competebat jure magistratus, unde neque mandata jurisdictione transibat. (*e*).

Proprium item eorum erat, ut per procuratorem non fierent, ut minime iterarentur, ut momento temporis perficerentur, ut diem & conditionem expressam respuerent; tacitam admitterent; veluti acceptilatio adjecta die vel conditione vitiatur, [*f*] facta vero de re, quæ sub conditione debetur, valet, quavis eadem conditione promissionis tacite involvatur.

Hos porro Jurisconsultus actus legitimos enumerat, nempe aditionem, sive cretionem hereditatis, mancipationem, acceptilationem, tutoris & libertatis dationem

(*a*) Rævard. *de auct. prud. cap.* 2.
(*b*) *L.* 1. *C. de form. & impetrat.*
(*c*) Hotom. *observ. lib.* 12. *cap.* 30. *quæst. illustr. cap.* 34. Cujac. *observ. lib.* 15. *c.* 16. *& ad leg. Actus legitimi, ff. de R. J.*
(*d*) L. 4. *ff. de adopt.*
(*e*) *L.* 2. *ff. de offic. Proconf. L. nec mandante, ff. do tutor. & curator. L. nemo ff. de R. J.* Cujac. *ad leg. Actus legis. ff. de R. J.*
(*f*) *L.* 4. *& 5. ff. de acceptilat.*

nem, & servi aliusve rei (*a*) optionem. Quibus ex auctoritate Ulpiani adjungenda est adoptio. (*b*)

At ut singula persequamur, exordiemur ab aditione hereditatis, quam ex legibus XII. Tab. descendere, docet Cajus, (*c*) sive ex testamento sive ab intestato veniret hereditas; eaque vel sola significatione voluntatis per verba solemnia fiebat, vel cum cretione, quæ promiscue pro aditione omni sæpe accipitur, (*d*) atque fiebat centum diebus a Prætore ad deliberandum datis; qui si heredi vel recusanti vel negligenti effluxissent, heres excidebat hereditate. Dies autem aliquando utiles a Prætore dabantur, veluti: *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris poterisque.* Eaque vulgaris cretio dicebatur, in qua heredi non currebant dies, nisi scienti aut minime impedito, vel dabantur continui, omissis verbis illis: *Quibus Scieris poterisque*, in qua nempe ignorantia, nec impedimentum heredis dierum cursum (*e*) retardabat, eaque continua dicebatur. Ac in omni cretione testibus adhibitis hæc solemnia verba, quæ Varro retulit, proferebantur: (*f*) *Cum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque.* Isque cum fuerit actus legitimus, mandari alteri non poterat: ut mirer Duareno (*g*) viro doctissimo visum fuisse, recte adiri per procuratorem hereditatem. Quod si privatis liceret, (*h*) quid magis hac in re tribueretur procuratori Cæsaris, cui præcipuum fuit, ut pro Cæsare adire posset (*i*) hereditatem? Nunc ad mancipationem progrediamur, cujus cum ritum supra in legibus XII. Tabul. exposuerimus, nunc tamen superest exponendum genus illud mancipationis, quo cives Romani utebantur, quum de injuria, periculo, damnove declinando cogitabant. (*k*) Tum enim venditor ita rem cum emtore componebat, ut ad certum tempus cum usus veniret, emtor rem eidem venditori redderet, præstaretque talem, qualem acciperet. Et quia bona sub ea fiducia mancipabantur, ideo genus hoc mancipationis *fiducia* fuit appellatum. [*l*] cujus hanc fuisse formulam cum gravissimis scriptoribus existimamus: *Ut ne propter te fraudemve tuam captus fraudatusve sim.* Ex quibus verbis doli judicium dabatur in eum, qui contra datam acceptamque fidem rem alteri mancipasset. Eaque formula deducebatur ex amplissima illa, quæ omnibus bonæ fidei judiciis cohærebat: *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione.* Atque in aliis bonæ fidei judiciis malam fidem, in hoc fractam fidem veteres vindicabant. Fiduciæ genus est & lex commissoria: siquidem, ut optime Cujacius, [*m*] fiducia est revendendi, aut redhibendi lex adjecta contractui.

Venditio quoque familiæ, quæ antiquo jure fiebat per æs & libram, utpote genus mancipationis, in actus legitimos est referenda. Initio sane vel a militibus in procinctu, vel a paganis calatis comitiis, sive populo ad ea vocato, pro collegio Pontificum, quorum in manu erat, ut supra diximus, jus civile testamenta conficiebantur. Qui ritus cum exolevisset, alia per Jurisconsultos prodita est ratio testandi per æs & libram, qua testamenti factio ad imaginariam mancipationem & verum nexum redigebatur. Nexum enim dicebant, quicquid per æs & libram gestum esset. Igitur ad hoc testamentum adhibebantur quinque testes, & libripens, & testator, qui familiam vendebat, & is, qui emebat, ut alteri redderet hereditatem. Emptor enim familiæ, cum quo negotium gerebatur, nomen tantum heredis sustinebat, bona capiebat alter, de quo inter emtorem & venditorem fuerat constitutum. Cumque veteres omne dominium per mancipationem transferrent, recte huic generi actuum legitimorum subjicietur mancipatio per æs & libram ex causa donationis, vel noxæ dationis, vel solutionis, vel

(*a*) L. *actus legitimi, ff. de R. J.*
(*b*) L. 1. *ff de offic. jurid.*
(*c*) L. 1. *ff de heredit. petit.*
(*d*) Cujac. *Parat C. de jure delib. & ff. de Adquir. heredit.* Duaren. *ibid. L. Cretionum* 17. *C. de jure delib. &* L. 4 *Cod. Theodos. de bon. matern.*
(*e*) Ulpian. *tit.* 23. *ubi* Cujac. Rævard. *de auct. prud. tit.* 3. Hotom. *Illustr. quæst.* 34. *& locis supra citatis.*
(*f*) *lib.* 5. *de ling. Latin.*
(*g*) Duaren. *disput. lib.* 2. *cap.* 27.
(*h*) Cujac. *observ. lib.* 1. *cap.* 34.
(*i*) Rævard. *de auct. prud. cap.* 5. *L.* 1. *§. ult. ff. de offic. procur. Cæsar.*
(*k*) Boeth. *in Topic. Cic.* Liv. *lib.* 32.
(*l*) Rævard. *de auct. prud.*
(*m*) *ad lib.* 3. *Institut. de le. is. agnat. tut. verb. Qui contracta fiduc.*

vel adoptionis, quæ per mancipationem fiebat, *ut infra demonstrabimus*, vel cujusque *dominii translationis*.

Sequitur acceptilatio, cujus hæc solemnia verba fuisse tradit Cujacius: (*b*) *Acceptum fers? acceptum fero*. Qua formula non aliæ obligationes tollebantur, quam illæ, quæ per stipulationem contractæ fuerant: id enim tantum solvi potest verbis, quod verbis fuit adstrictum. (*c*) Hinc ut etiam obligationes, quæ res inductæ fuerant, abolerentur, formulam prodidit Cajus Aquilius; qua novatione facta, obligationes re contractas in contractum verborum, nempe in stipulationem, deduxit: quem verborum nexum oppositis verbis, nempe acceptilatione retexuit, ut, cum omnia verbis essent adstricta, eadem verbis dissolvi liceret. (*d*) Qua de acceptilatione loquitur Modestinus, (*e*) cujus verba non recte in communem acceptilationem convertit Tribonianus: (*f*) Nunc occurrit inter actus legitimos servi optio, eaque solemniter fiebat ex testamento: nec servi modo, sed & rerum alienarum optio solemniter ex testamento facta, actibus legitimis adnumeretur. Tutoris datio duplex erat: altera ex testamento descendebat, quum testator certum hominem liberis tutorem designaverat: altera ex legibus XII. Tabul. fiebatque a magistratu solemni decreto, amicis pupilli & optimis viris rite arcessitis, quorum magistratus putabat, quem pupillo utiliorem fore judicasset. Atque postrema, non illa superior tutoris datio, actus legitimus erat. (*g*)

Manumissionis erant duo genera. Altera enim *Latina* dicebatur: *justa* altera *libertas*. A Latina libertus vel superbiens, ac super conditionem suam exultans a domino ad pristinam servitutem revocabatur, vel melius usque de domino meritus ad *justam*, quæ adimi amplius non poterat, libertatem perducebatur. Itaque Latina libertas integra non erat, nec omnino a metu servitutis libera, eaque instituta fuit, ut libertus aut metu servitutis dominum observaret, aut spe plenioris libertatis gratiam captaret obsequiis.

Cum autem Latina libertas daretur vel inter amicos vel per epistolam vel servo adhibito ad convivia solemnia, quæ de more inter cognatos & affines ad discordias sedandas & componendos animos agitabantur; [*h*] justa vero libertas vel testamento concederetur, vel censu sive professione facultatem & nominis Romani a domino impositi apud Censores, vel denique vindicta postrema hæc dandæ libertatis ratio inter legis actiones actusque legitimos recensetur. (*i*)

Hæc enim una manumissio fiebat in jure apud Prætorem vel Consulem Romæ, apud Præsidem vel Proconsulem in provinciis: apud quos dominus prenso capite, vel alio servi membro, hæc solemnia verba proferebat: *Hunc hominem liberum esse volo*, ac eum deinde colapho impacto circumagebat, ut indicaret, eum, quo voluntas ferret, ire posse.

Prætor autem, audita justa manumittendi caussa, sive titulo manumissionis, [quo deducto in hoc manumissionis genere opus erat] atque imposita capiti vindicta, domini verba solemni hac excipiebat formula: *Ajo te liberum esse jure Quiritium*. Ac libertatem adeptus, statim abraso capite capiebat pileum. [*k*] Nulla tamen manumissio tribum sive jus suffragii tribuebat. Id enim olim nonnisi a Populo, postea tantum a Principe concedebatur. Civium enim Romanorum alii cum suffragio erant, alii sine suffragio. [*l*] Ex quo intelligitur species, quam proponit Scævola de patrono, qui per heredem tribum [*m*] liberto emendam curaverat. Quæ vero manumissio censu fiebat, exolevit, ac ejus locum *manumissio in ecclesia* occupavit. Unde in locis, in quibus Cajus census mentionem fecerat, ecclesiam fuisse a Triboniano substitutam, plerique arbitrantur.

Offert se nunc emancipatio. Qui modus est solvendæ patriæ potestatis, XII. Tabul. legibus inductus. Nam Romuli legibus, vel, quod Ulpiano placet, moribus Romanis, jus erat patri vitæ & necis in filio; ut deterioris conditionis esset servo

(*a*) Cujac. *ad L. actus legitimi*, ff. *de R. J.*
(*b*) *Tit. Cod. lib.* 8. *tit.* 45. *de acceptilat.*
(*c*) *L.* 8. *§. acceptum*, ff. *de acceptilat.*
(*d*) *L.* 18. ff. *de acceptilat.*
(*e*) *L.* 1. ff. *de acceptilat.*
(*f*) Hotom. *lib.* 8. *c.* 18. *obs.* (g) Cujac. *in loc. cit*

[*h*] Valer. Max. *l.* 2. Rævard. *de auct. prud. c.* 7.
(*i*) Cujac. *ad dict. l. Actus leg.* ff. *de R. J.*
(*k*) Plaut. *Amph.* Liv. *lib.* 24. Non. Marcell. Rævard. *loco cit.* [*l*] Liv. *lib.* 8. *lib.* 9. *& lib.* 38.
(*m*) *L. Patronus*, ff. *de leg.* 3. Cujac. *observ. lib.* 7. *cap.* 14.

servo filius, siquidem servus semel manumissus liber erat: filius a patre venditus si manumitteretur in patris potestatem relabebatur, nec ante liber erat, quam post ternam venditionem & ternam manumissionem. [*a*]

Hinc, ut filius de patria potestate aliquando exiret, excogitata est a prudentibus imaginaria venditio, quæ fiebat accitis quinque testibus, & libripende, adhibitoque sestertio nummo (*b*) uno *dicis gratia*, sive non vere, sed ut dicere possent, emisse sese; atque ita filius ter a patre naturali patri fiduciario venditus, atque ab hoc ter manumissus, deinde servi more circumductus, & colapho (*c*) percussus, libertatem assequebatur, cum filiæ ac nepotes ex filio assequebatur, cum filiæ ac nepotes ex filio susceptæ una emancipatione sui juris fierent. [*d*]

Adoptionem quoque actibus legitimis Ulpianus adjungit. Docet enim potuisse apud Juridicum adoptionem fieri, quia data esset Judicio legis actio. Non autem adoptio quæ testamento fiebat actus legitimus erat; sed illa, quæ apud magistratum vel populum peragebatur.

Siquidem aut filiusfamilias quis adoptabatur, aut homo sui juris, quod genus adoptionis dicitur *adrogatio*: vel quia populus rogaretur, vel, ut Cajus putat, quia ille qui adoptat interrogatur, Utrum illum quem adoptat filium habere velit? & qui adoptatur, interrogatur, Utrum id fieri velit?

Porro cum filium-familias pater in adoptionem daret, eum adoptanti per æs & libram vendere simulabat: Emtus autem filius statim ab emtore manumissus in pristinam patris naturalis servitutem recidebat: eaque venditione iterum atque iterum a naturali patre repetita, & duplici manumissione ab adoptante facta, post tertiam denique mancipationem & duas manumissiones, in patris adoptivi potestatem filius deveniebat, ac in illius nomen, hereditatem & sacra transibat. Sacra enim perpetuo infixa familiis pecuniam & hereditatem sequebantur, ut, quo pecunia tenderet, eo sacra pervenirent. [*e*] Nepos vero unica tantum venditione patris adoptivi familiam assequebatur. (*f*) Adrogatio sive adoptio illius qui sui juris erat fiebat Comitiis centuriatis, adoptionis (*g*) exposita caussa, præstitoque jurejurando, nullum ei rei dolum fraudemve subesse. Tantaque hujus actus erat solemnitas, ut ante cum Diis augures explorarentur, arbitris sive auctoribus Pontificibus, quos ea gratia vocari Gutherus (*h*) & Rævardus (*i*) censuerunt, quod in adrogatione venirent jura sacrorum, quorum Pontifices erant custodes. Quæ mihi ratio minime probatur. Cur enim Pontifices non adhibebantur etiam in adoptione, quæ per æs & libram fiebat, qua & sacrorum jura transferebantur? Quamobrem aut solemnitatis gratia vel religione quadam fuisse accitos dixerim, aut ignorantiam fateri maluerim, quam obtrudere pro veritate commentum. Porro [*k*] utrinque pater & filius a Pontificibus interrogabantur, ille an eum civem adoptare vellet, hic an auctor fieret, sive an vellet in illius migrare familiam? ac, si auctor fieret, tum hæc ad populum verba dirigebantur: *Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius sibi fiat, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utique ei vitæ necisque in eum potestas fiet, uti pariendo filio est. Hæc, ita ut dixi, vos Quirites rogo.* Hinc adrogationem fieri jure antiquo per populum (*l*) dicitur. Per populum quoque ad Antonini tempora fieri consuevisse palam facit Ulpianus. [*m*] Illud ex antiquo ritu fuit immutatum, ut, pro Pontificum auctoritate, Principis qui Pontificatum maximum gerebat interponeretur auctoritas. (*n*) Ut mirum sit, cur Alciatus veterum rogationum morem sub Principibus exoleviſſe [*o*] contendat, cum Neronis adoptionem censuisse patres, jussisse populum Tacitus scribat. [*p*] Ceterum vete-

(*a*) Cujac. *ad sentent.* Paull. *lib.* 2. *tit.* 25. Rævard. *ad leg. XII. Tab. cap.* 3. *ex Dionys.*
(*b*) Cujac. *observ. lib.* 10. *cap.* 37.
(*c*) Cujac. *paræ. lib.* 8. *Cod. tit.* 48. Cajus *Institut. lib.* 1. *tit.* 7.
(*d*) Ulpian. *tit.* 10. Cujac. *ibi*, *& ad Paull. lib.* 2. *sentent.* 25.
(*e*) Guther. *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
(*f*) Cujac. *ad tit. Cod. de adopt.*

(*g*) Cicer. *pro domo sua ad Pontif.* Gell. *l.* 5. *c.* 19.
(*h*) *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
(*i*) *de auct. prud. cap.* 6.
(*k*) Rævard. *de auct. prud. cap.* 6.
(*l*) L. 2. *in fin. C. de adopt.*
(*m*) *Tit.* 8.
(*n*) *L.* 2. ff. *de adopt.*
(*o*) *lib.* 9. *Parerg. cap.* 5.
(*p*) *lib.* 12. *annal.* Guther. *l.* 1. *de jure Pontif. c.* 5.

veteres adoptionis ſolemnitates tandem evanuerunt, & adoptio actibus publicis, adrogatio Principis reſcripto, peragitur. [a]

Actibus legitimis uſurpationem non Hotomannus modo, qui mirum quantum eorum numerum produxit, ſed & Rævardus etiam attexuit.

Uſurpatio [b] eſt interruptio & ſciſſura quædam uſucapionis, cujus curſum bona fide inſtitutum uſurpatio [c] ſiſtit. Non autem ſola defractione furculi, nec certa definitave ſolemnitate inducitur uſurpatio, ſed variis modis ex rei negotiive natura. Sane ſi fundi uſucapio fuiſſet interrumpenda, furculus defringebatur: & de hoc uſucapionis genere poſuit exemplum [d] Cicero, quo exemplo ductus Rævardus, uſurpationes univerſas hoc genere uno rituque concluſit? cum non modo ſine hac aliave ſolemnitate, ſed & ſine hominis opera uſucapio interrumpatur, & ipſo eventu inducatur uſurpatio. (e) Aquæductus enim uſucapio interrumpitur, ſive jus aquæ ducendæ uſurpatur, etiam ſi aquam ad priorem curſum nemo reducat; ſed ipſa domini rivum ſua ſponte repetat. Hinc uſurpationem ex actibus legitimis eximendam putavimus. Etenim actus legitimos per alium exercere minime poſſumus; recte tamen per alium uſucapionem interrumpimus: imo & ſine noſtra vel alicujus opera (f) uſurpamus. Ciceronis locus pro *Cæcina*, ubi ritus exponitur deductionis ex fundo quæ moribus fiebat, & Pomponius, [g] qui tradit Appium Claudium librum de legis actionibus & uſurpationibus reliquiſſe, Rævardum in eam fraudem impulere, ut uſurpationem actibus legitimis adjiciendam exiſtimaverit. Verum Ciceronis locus potius pertinet ad Edictum de vi quotidiana, quam ad uſurpationem. Et Pomponius, cum ait, Appium Claudium ſcripſiſſe librum de legis actionibus, vel, ut in emendatioribus codicibus legitur, *de actionibus & uſurpationibus*, uſurpationem a legis actionibus perſpicue diſcernit, ſiquidem nominatim uſurpationem diſtinxit, ac ex actuum legitimorum genere ſubduxit: ut miſcenda minime ſint aut conturbanda. Quos hactenus deſcripſimus actus legitimi ſignificantur a Juriſconſultis, ſine quorum auctoritate alios adjicere minime debemus, ne ultra modum propagentur; ut contractus omnes actuſque judicii cunctos legis actionum nomine comprehendere cogamur.

(a) Cujac. *parat. C. de adopt.*
(b) Cujac. *ad tit. Cod. de uſur. transform. & ad lib.* 54. Pauli. *ad edict. l.* 2. *ff. de uſucap.*
(c) *L.* 2. *de uſurp. & uſucap.* (d) *lib* 3. *de orat.*
(e) *L.* 12. *ff. quemadm. ſerv. amit.*
(f) *L.* 12. 13. 14. *ff quemadm. ſerv. amit.* Cujac. *ad l.* 2. *ff. de uſurp. & uſucap.*
(g) *L.* 2. §. 36. *ff. de O. J.*

ORA-

ORATIO
PRO
ROMANIS LEGIBUS
AD MAGNUM MOSCHORUM REGEM. (*)

QUos honores Heroibus olim ſuis ingentium beneficiorum præmio tribuerat antiquitas, uberius tu, ſi religio ſineret, Potentiſſime Moſchorum Imperator, ſuſcepiſſes a Populis tuis, quibus juvandis & natura ipſa locorum, & mores gentium earum, & mortalium ceterorum opinio, in dies a te incredibili felicitate ſuperantur. Si enim vera e falſis evolvero, & e vetuſtis monumentis excitavero, tecumque commiſero, non fabuloſos illos Deos, ſed vera, & nativa exempla præſtantiſſimorum virorum, unde ſuorum nomina, umbraſque Deorum ad inſanos Populorum cultus Poetæ perduxerunt, certe benefactis illorum tua longo intervallo, tum difficultate rerum, tum immenſitate regionum, tum denique infinitate Populorum, antiſtare judicabuntur. Heroum enim & commentitiorum numinum germina ſeminaque fabularum ſurrexerunt ex rebus admirabilibus inter Afros potiſſimum geſtis apud quos fertur Uranus primus contemplator ſiderum cultorque populorum (**) ac parens numeroſiſſimæ prolis, quæ Titanum ſoboles, a matre Titæa nuncupatur. Ex quibus Atlas paternorum ſtudiorum celebrior æmulator, ac ſeptem filiarum genitor fuit: inter quas Maja & Jove Saturni filio Mercurium peperit utiliſſimarum artium inventorem. Aliæ vero alias Deorum generationes ediderunt, & filiorum virtute meruerunt, ut ſideribus Plejadum omnes nomine a poſteris inſerentur. Aſt Atlantis frater alter Saturnus, procul Africa paternas artes & beneficientiam trahens, ad Siciliam ſe atque Italiam excolendam noſtroſque mores emendandos contulit, atque turres extruere urbeſque munire docuit, ſuſcepitque de conjugio Rheæ ſororis Jovem, qui terrarum peragrans orbem, & gentes, in quas incideret, ad humaniorem vitam uſumque utiliorum artium traducens, eam beneficiorum ſegetem protulit, ut pater ubique locorum appellatus non modo, gratia populorum & opibus fretus, patri regnum eripuerit, ſed poſt mortem in cœlo a ſtupore hominum locatus imperium in ceteros opinione mortalium occuparit. Oſiris porro Ægyptius, & ſoror Iſis, unde Bacchum ſuum, & Cererem Græci abſtulerunt, agrorum cultum & vini uſum, & frumentorum ſationem, & jungendorum armentorum artem tum finitimis, tum remotis etiam populis Indos ad uſque pandentes, & ipſi locum inter Deos invenerunt. Neque alia ratione reliqua Saturni Joviſque progenies mortalitatem ſuperavit, niſi quod vel armorum uſum ut Mars, vel nuptiarum ritus, ut

(*) De oratione hac nihil certum relatum legi. Quare ſine fraude mihi eſto, ſi qua a vero aberrarit conjectura mea. Peraverat igitur, credo, hanc orationem Auctor anno 1698. cum Petrus I. Moſchorum αυτοκράτωρ jam Viennæ ageret, & iter in Italiam moliretur, a quo tamen rebellione ſuorum revocatus eſt. Proinde etſi tertia abhinc pagina Petrus extremam jam Italiam pervagatus dicatur, tamen id ſola ſpe ſuſcipiendæ profectionis dictum putamus. Cum dein orationem per annos omnino novem preſſiſſet tandem impetrari a ſe paſſus eſt, ut ea Anno 1707. ederetur. Hunc enim annum præfert ſubſcriptio. Agit autem id Auctor, ut Petro ſuſcipiendi primum uſum legum Romanarum, tum religionis Romano-Catholicæ perſuaderet. De utroque tamen argumento parce agit. Nam magna pars orationis ipſius Petri laudibus abſolvitur, tum quoque vituperio, in quod dilabitur, Turcarum.

[**] Malim tutorque populorum, ut pagina ſequenti.

Juno, vel ut Venus amatorios luſus, vel venationem ut Diana, vel ut Minerva lanificium, vel ut Vulcanus æris ferrique cudendi metallorumque ſolvendorum peritiam, vel melodiam & Poeſiam & Medicinam ut Apollo aperuerint, vel demum quod longinquis peregrinationibus expeditionibuſque ſuſceptis, immanitatem e moribus hominum evellerint, ſuiſque laboribus locorum & animorum aſperitatem edomuerint, ut monſtrorum, ſive vitiorum debellator Hercules Afer & ipſe, qui regionis illius in ora columnis impoſitis, terras, quas objerat, omnes Oceano diſterminavit. Hujus imitatores morum Græci duo, rebus quidem geſtis & virtute minores, verum ob recentiorum facinorum memoriam, Græcorumque Poetarum ſtudia notiores, illius & nomen ſibi & laudes uſurparunt: quorum alter bellica virtute florens ludos inſtituit Olympicos, alter, Imperio Euryſthei pluribus diſcriminibus ſuperatis, Lybici Herculis exemplo columnis extremum Europæ definivit.

Tu vero, quovis Hercule valentior, ferociſſimos inter Sarmatas, utcumque ante te recentioris diſciplinæ rudes a præcipuis & antiquioribus vaſtiſſimæ ditionis auctoribus exortus, cum vix dum in tuam tutelam veniſſes Populorum tutor creatus imperium ſuſcepiſti, diſcriminis inter Aſiam & Europam ignarum, impatienſque terreſtrium & maritimorum finium. Qua in fortuna ætatem prudentia, ingenio rerum uſum antevertens, vincendo dimicare per cædes & ſtrages hoſtium didiciſti; atque in Aſſofii expugnatione ſub Germanis ducibus ad tua ſigna venientibus inter Cimmerias Mœoticaſque pugnas, interque triumphos palmaſque tuas novæ militiæ tyrocinia Populis tribuiſti. Talibus clarus præliis, non modo circumfuſis ditioni tuæ Scythis, a quibus Moſchorum imperium graviter præmebatur, quorumque incurſionibus lacerabatur, & rapinis, prædarum licentiam eripuiſti; ſed eoſdem agro multatos, ac ſuprema dominatione ſpoliatos adeo contriviſti, ut regna illa, quæ Moſchos civilibus diſcordiis fractos, vectigales fundos fore ſibi ſperabant, ad ingentia tributa compuleris. illis vero imperio adjectis, & omnibus jam ad nominis tui terrorem terga vertentibus, per ignotos Europæ, Aſiæque ſeptentrionales tractus victrix potentia tua libere vagatur: neque alia potentia coercetur, niſi elementorum & naturæ, quæ abſumtis jam humanis viribus, nihil armis tus invenire potuit opponendum, niſi glacialem Oceanum & divinam ipſam voluntatem, quæ non patitur univerſitatem rerum a mortali poteſtate ſuperari.

Neque contentus armis debellare feritatem, victorias omnes in victarum etiam gentium commodum convertens, eam pacis artibus conaris extinguere. Quamobrem ſi, quos memoravimus, Dii delirantium antiquorum, quod per ſe invenerant, aut e natali ſolo traxerant, vel ampliarunt inter cives, vel exteris contribuerunt; tu non ſolum partam tuopte ingenio humanitatem proprioque Marte ſuborientem æquitatem ſeruiſti primus inter tuos; ſed ſupra majorum auſus, contraque mortalium omnium fidem perrupiſti ſolus regni leges inhoſpitales, ac diruiſti munimentum barbariæ, murumque illum dejeciſti, qui civilis ſtatus felicitatem a tuis Populis procul arcebat. Poſtquam autem diſcluſis tenebris lumen urbanitatis in tot nationes intromiſiſti, omnium ſtupore, invicta conſtantia, nihil veritus in abſentia tua perfidorum inſidias, quæ te celerius in regnum revocarunt, ut bona Populorum aliorum ducens ad tuos, nullo adhuc Moſchorum Regum exemplo longinquam adeo, latamque peregrinationem ſuſcepiſti, ut per Germaniam, Bataviam, Britanniam, extremamque Italiam pervagatus opes, ac theſauros omnes, ſive militaris artis, ſive doctrinæ ſyderum, & ventorum, ſive ſcientiæ naturalis, ſive Medicinæ, ſive Moralis Doctrinæ, ſive Linguarum, & Græcæ Latinæque Antiquitatis & Eloquentiæ, ac tandem quidquid in via tibi elegantius occurrerat, aut fando tuam ad notitiam perveniret, in regnum tuum transferres per peritiores doctrinarum artiumque præceptores, & rerum artifices; quos ingentibus præmiis conductos ad cultum populorum, & imperii tui gloriam tecum avexiſti, tanquam publicæ felicitatis miniſtros, brevi tecum triumphaturos de ignorantia, quæ Populis tuis pacis fructus, & proſperos bellorum exitus intercipiebat: adeo ut monſtra tanto plura tu ſuſtuleris, ac meliora pepereris, quam Oſiris

Oſiris aliquis, aut Hercules, aut Saturnus, aut ipſe Jupiter, quando latiora, & munitiora erant in iſtarum vaſtitate regionum ignorantiæ, ac barbariæ latibula, & cubilia vitiorum, non in privatis tantummodo moribus, verum & in ipſis regni legibus publiciſque ritibus turpiter ad ætatem uſque tuam hærentium.

Quamobrem quæ olim ditiones ab ipſa creatione rerum omni literarum & bonarum artium communiſque commercii utilitate carebant, continuo te ad imperium veniente, ac de celeberrima peregrinatione brevi redeunte, ſuſceperunt quidquid præclarius ediderat Ægyptus, alueratque Græcia, poſteaque ſuis ſub ſignis propagavere Romani, ac reliqui mortales ab Imperio Romanorum edocti ad hanc uſque diem excoluerunt. Unde populi olim naturali tantum fortitudine ferocientes, præcipitique fervore ingenii æſtuantes, arte vero utriuſque regendi communibuſque aliorum Populorum commodis uſque ab initio carentes, ope ſibi tua ætatum & omnium gentium bona brevi corripuerunt, ut voce una immutata, Imperium tuum jure ſibi, tibique illud elegantiſſimi Poetæ poſſit attribuere:

Hic Petrus poſuit quidquid ubique fuit.

O ſi vitalem [*] ſenſum tui, Naſo, cineres reciperent, minus certe flebiliter exilium tuum doleres, ubi per hunc aliquando non immanes illos inter ætatis tuæ Scythas, ſed plures inter Anacharſes locatum te invenires! Tuque, Iphigenia, tam cupide fugam e Tauris hoc fortaſſe tempore non molireris, cum non humanis victimis immolandis, ſed clementiſſimi Principis virtutibus in Poetarum & Oratorum cœtu conſecrandis te brevi præfuturam, atque ad mite regnum Thoantis tyrannidem nobiſcum una perventuram ſperares!

Atque hac una præquam ex omnibus, PETRE, cauſis naturæ ipſius conſilio, ac miniſterio Princeps videre creatus, quod non ſolum invenire propria, ſed convertere ad te noveris aliena, tamque præclara optione magiſtratuum, delectuque peritiorum in militari ac civili facultate hominum, per alios optime præſtes, quæcunque Princeps edere per ſe ipſum a regnandi occupatione prohibeatur. Cum enim Reſpublica ducibus, magiſtratibus, & morum artiumque rectoribus, rerumque arbitris plurimis indigeat; ſingulorum quidem perfunctio munerum privatis, eorum vero congrua convenienſque attributio, & cretio atque uſus idoneorum hominum illi unice ſeorſum a muneribus aliis convenit, cui regimen traditur univerſorum: ne, ſi Princeps magiſtratibus & muneribus aliis obeundis diſtrahatur, Reipublicæ regimen a civibus ipſo in rectore deſideretur.

Cum autem regium animum natura indueris, tanta clementia exundas, ut eam deflectere nequeas ab iis Populis, inter quos nihil Principi & Populis ipſis clementia periculoſius. Siquidem ii ſunt, ut, niſi pœnarum terrore conſervarentur, in propriam ultro perniciem ruerent. Hinc regnandi ſors omnium opinione feliciſſima, tibi tamen eo nomine accidit, acerba, quod nequeas abſque univerſorum detrimento placere ſingulis: ut, cum olim homicidæ cujuſdam vitæ peperciſſes, iſque novum ob homicidium carnifici traderetur, debueris tu publice propriam indulgentiam accuſare, quæ luce damnato reddenda, illius poſtea manu innocentem perdidiſſet: ideoque humanæ naturæ vitiis ingemiſcebas, quod inſontibus vitam non niſi ſontium cæde largiatur. Quæ tamen communis naturæ pravitas bonitatem fruſtra ſuperare conatur tuæ. Nam inde poſt paullo cuidam ex noſtratibus, dum ad ſupplicium raperetur, pœnam non modo naturalis, verum & civilis mortis condonaſti: utque animi ejus morbo mederis, hoc ſibi ceteriſque ſalubre monitum adjeciſti, dum ei gladium redderes: *Recipe*, inquiens, *gladium hunc, ut eo non in ſubjectos meos poſthac, ſed in hoſtes utaris.*

At ſi clementiam deponere cogeris in ulciſcendis injuriis alienis, omnem tamen eam large adhibes in remittendis tuis: utpote qui morſus lividorum cura ſcientiaque Principis indignos judices, & magnifice toleres, rideaſque maledicentiam Poetarum, quorum ais proprium eſſe vana jactare atque invenire falſa. Sed

(*) Proſopopœja elegans, elegantior tamen futura, ſi Tomi, quo relegatus erat Ovidius in ditione Ruſſorum eſſent. Tauri quoque, poſt amiſſum Azovium, Turcis parent.

quid miramur in te calumniarum tolerantiam, qui & insidias conjunctorum non semel, præcipue dum abesses, contra salutem tuam in perpetuam calamitatem conspirantium tanta magnitudine animi contemseris, ut vix patefacta conjuratione oblivionem injuriarum nunciaveris, illique abs te timere desierint, cum adhuc ab eis timendum tibi superesset, His tu virtutibus tanto supra tuum imperium sublatus, quanto illud regna supergreditur aliorum, [*] jure damnas inanium ornamentorum & gemmarum fastum: solumque Regum ornamentum & nitorem ducis egregiorum gloriam laudemque facinorum. Ideoque regias indutus vestes ridere soles amentiam eorum, qui te ab illis magis admirantur: quasi augendis rebus externis proprium quidquam hominis augeretur. Nec raro eas tibi exuens adstantibus largiris, ut non tam oculi fulgore illarum, quam animi virtutum tuarum adspectu percellantur: exemploque tuo doceantur proceres divitiarum usum, atque intelligant, eas non esse utiles, nisi ad utilitatem deducantur aliorum, cum videant quæcunque ad voluptatem vulgo referuntur, aut ad stultorum admirationem, revocari abs te ad cultum exercitiumque liberalitatis: quo tantum nomine a sapientibus opum bonorumque abundantia toleratur. Res nimirum homines, non illarum officio atque usu, sed sua ipsorum opinione atque affectione propria æstimantes, & fortunam in laudem suam stulte conferentes, non animadvertunt; quo superbius ex opulentia & potentia efferuntur, eo vilius demittere metipsos, quando naturam humanam, qua nihil sub cœlo sublimius, rebus demittunt insensibilibus & caducis, quibus vilissimus quisque hominum divino judicio antecellit. Ideo tu, qui res creatas non communi æstimatione metiris, sed latitudine, atque sublimitate animi tui, qui omnia expendit ab infinitate, non mirum si, Maximus cum sis, cognatum tamen Moschorum imperio Magni cognomentum averseris, eo ceteris major, Magnique cognomine dignior, quod magnitudinem Deo tantum convenire profitearis. Unde tot gentium te victorem, non tam victoriis tuis admiramus, quam quod a tanta vastitate imperii minime vincaris, neque in opibus & fortuna, verum in earum contemtu præstantiam hominis positam arbitreris.

Ecqua vero unquam in te animi elatio ab opum bonorumque affluentia, si nihil tuum judicas, nisi quod quotidianus vitæ usus publicæ majestatis alimentum absumit: cetera vero non tibi, sed populis, ac publicis privatisque necessitatibus a divina providentia in manu tua fuisse deposita palam edicas; neque modo vigiliarum; atque curarum censum, sed & regiarum opum vectigal amplissimum voluntaria lege populis tuis perpetuo pendas. Hinc ex te præclara illa vox, quando in militaribus ludis ducem agens, ac stipendium tui muneris accipiens, ajebas, eam unice pecuniam dominio tuo cedere, quæ propriis laboribus pararetur: nam publicam cura tantum, & custodia teneri tua, usu vero & mancipio esse populorum. O miram in tanta potentia æquitatem! O incredibilem continentiam in tam ætatis nostræ libero more imperiorum! O sententiam, quo minus familiarem regibus, eo magis necessariam, & regiis animis diguiorem, quæ regibus populos, non regum, sed populorum ipsorum causa subjectos docet: ut, si neque genus te, neque præclara facinora extulissent, multitudinem tamen istam regnorum ex hac unice sententia meruisses! Quamobrem qui summam teneas regnandi artem, in contemplatione solius publicæ utilitatis cultuque justitiæ consistentem, neque tam ab humano ingenio, quam a divino instituto prodeuntem, a cujus tantummodo usu oritur salus, incrementum, & tranquillitas populorum; non abs re Aristotelis civilia præcepta & politicorum libros, a te in manibus familiaris tui nobilissimi ac doctissimi hominis inventos, inutiles autumabas ad Reipublicæ regimen iis, quorum animis alte insideret, pri-

(*) Quare Joannes jam Basilides non modo Imperatoribus par, sed etiam superior videri volebat. Cujus imagini pictæ A. 1551. hi versus subscripti leguntur apud Sigismundum Herberstainum in *commens. rer. Moscho.* pag. 13. *Russorum Rex & Dominus sum, jure paterni Sanguinis; Imperii titulos a nemine, quavis Mercatus prece vel pretio: nec legibus ullis Subditus alterius, sed Christo credulus uni Emendicatos aliis aspernor honores.*

privatos quidem beate vivendi, rectèque obtemperandi causa industriam & fidem a Deo accepisse; Principes autem bene utiliterque regnandi artificem unice habere opem divinam (*) ad rectum virium & copiarum usum. Juvenali vero, qui & apud eundem erat, maxime plaudebas, dum inde inter plures, quibus delectaris, ea tibi sententia promebatur:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano:
Fortem posce animum.

Quem tu Poetam: & Græcos præsertim sapientiæ magistros, una cum veteribus Ecclesiæ Patribus, in vestram linguam convertendos assidue curas, ut illinc virtus flammæ instar prodiens, ac noxiam segetem vorans, per omne tuum imperium absumendis vitiis late vulgetur; & inter hæc adolescens inclytus filius tuus unicus, universæ sapientiæ præclarus alumnus, concentu tuorum populorum omnium, & consensu publico alacrius ad studia feratur atque inflammetur ad tutelam & propagationem literarum, quas infans adhuc & pene ab ubere nutricis exhausit, quasque omnibus in suis regnis inter scholas tuo jussu institutas ipse secum adolescere jucunde videt. Juvenis excelse, ac certe non tam copia ditionum, quam educatione paterna beatissime; per quam educationem non a regnorum tuorum titulis regiam scientiam didicisti, sed a præconiis literarum; non induendo sed calcando veterum regum fastu magnificentiam, animo vere regiam exstruxisti, neque fulgore gemmarum, quo involveris, & auro, quo regia vestra coruscat, sed egregiæ indolis laude clarescere consuesti; per quam denique non æstimatione vanaque opinione mortalis potentiæ, sed cognitione rerum immortalium fuisti ad summam potentiam institutus, rectum illius usum arripiens a parentis vita, quæ comperta tibi quotidie sapientum documenta perpetuis reddit exemplis. Felix profecto juvenis, & felicia tecum regna, quæ patrem rebus gestis, & ætate florentem diu retinebunt, & imaginem corporis animique paterni, paternamque gloriam per filium longo inde tempore conservabunt, eamque auctam in dies plurimum videbunt bonarum artium incrementis, ac triumphorum numero, & nova semper prolatione terminorum.

Quod sane Imperii tui, Magne Moschorum Imperator, incrementum unice Moschis pridem optandum, nunc, ut in proximum Hellespontum incumbat, bonis & humanioribus omnibus est expetendum: qui Græciam, doctrinarum nutricem, non sine frequenti profusione lacrymarum hodie omni luce literarum orbatam, & immortalibus ab se partis opibus jamdiu spoliatam, atque in tenebras, unde alios extraxerat, alte demersam intuentur. Eo si tuis armis recludetur iter literis, & patriis inventis illinc jamdiu exulantibus, Græcia bonas ad artes ibi restituendas novum ad se missum Orpheum admirabitur eisdem ex Getarum finibus, unde vetus ille ad eas inter Græcos instituendas concesserat: quem propterea Thracem communi tum forsan Arcticarum regionum nomine appellarunt. Quid igitur tua virtute glorioſius, per quam effeceris, ut Moscho de solo, unde immanitatem populi alii formidabant, nunc humanitas ab ipsis humanitatis auctoribus expectetur, & vetus gloria, colle ab Heliconio tamdiu aberrans, ætate nostra in Riphæis montibus conspiciatur?

Hanc autem præclaram spem nulla, quæ Græcis dominatur, armata barbaries nobis eripuerit. Oritur enim ea spes a te, cujus irritatur a difficultate fortitudo, quæ non modo conjuratos domesticorum, & externorum furores & insidias toties pressit atque refregit, verum & ipsam ventorum violentiam, Oceanique iram superavit: quando, tempestate coorta, cum navis, quæ te vehebat, sursum ac deorsum provoluta undarum pene voraginibus hauriretur, inter lacrymas gemitusque tuorum procerum, postquam singulis animus concidisset, & salutis desperatione clavum gubernator e manibus dimisisset, unus tu in tanta turba-

[*] Quod benedictum Petri non temere probaveris. Etsi enim opis divinæ partes primæ sunt, in omnibus rebus humanis, tamen Deus ἐμμέσως agere solitus est, ideoque nemo recte spreverit studium Politices. Quanquam alias fatendum est, fuisse Principes, qui hoc studio florerent & tamen infeliciter regnarent, uti Henricus III. apud Gallos, apud Brittannos Jacobus I.

batione hominum & naturæ immotus, & in communi pallore præfulgidus, gubernaculo repente arrepto, vocibus & exemplis exanimatos comites erigebas, ac dilabentes nautarum vires revocabas, ridebasque timorem eorum, qui nescirent cujus fortunam secum haberent: donec mare, veluti constantia tua domitum, cederet, relinqueretque tibi victoriam frementium & indignantium procellarum. Hac eadem te constantia tempestatem illam perdomiturum speramus, quæ proprio avertit e fonte literas, victoriisque tuis confidimus, Græciæ clavum de manu barbariæ ad sapientiam rediturum. Minus vero mirabimur fore, ut illorum frena populorum e potestate crudelissimi dominatoris ad te transferas aliquando, si eorum ingenia cum institutionibus tuis, tyrannique illius ignaviam cum tua militari dignaque Rege vita componamus. Ingeniis ille imperat volubilibus & acutis, neque formidine ulla diu, sed præsenti sola, quoad incubuerit, ignorantia coercendis. Hanc ille sibi tyrannidis arcem condidit inter inventores & præceptores doctrinarum populos. Hac violentiam tuetur, hac munit libidinem. Hanc adhibet administram ad obtundendos animos, & extinguendum sensum impositæ servitutis: quam vi olim subiit, nunc vero nescia sui ipsius quatuor jam secula solo stupore tolerat natio illa, quæ Persarum ac totius Orientis vires in se irruentes exiguis militum copiis, ast animis ingentibus, classeque modica, sed audacia prorsus admirabili repressit primo, deinde dissolvit, postremo sub Macedonum signis dominatu suo per Assyrios, Medos, Persas, Chaldæos, Ægyptios, Africæque partem, totamque Asiam effuso ita contrivit, ut non imperia tantum, sed & nomina & linguas nationum deleverit aliarum.

His non multitudine, sed robore, non opulentia, sed ingeniorum præstantia tam olim late dominantibus barbarus direptor non dominaretur; nisi sublato prorsus literarum & mentis usu eos obbrutescere coegisset, ac lucem eripuisset, qua civilem vitam a captivitate, Regem a prædone, servitutem a libertate distinguerent. Neque alia ratione poterant conjunctim turpiter servire uni, quorum singulæ civitates & oppida per se regnabant, & opes atque vitam suorum contra potentioris regnum opponebant. Quo literarum exilio Græciæ depopulator, utcunque muniatur contra suos, injuriis tamen exponitur exterorum, utpote illis exarmatus artibus, quibus, ut Poetarum documentis utamur, Martem perpetuo Minerva superat, quibusque superatus ipse toties nostris temporibus, & fusus terra marique a Germanis, Polonis, & Venetis regna integra & exercitus numerosissimos & rei militaris gloriam prorsus amisit. Atque adeo ille immanitate sua obstupuit, ut non intelligat pœnas, quibus toto regno suo persequitur literas, expetere in caput ipsius, non solum ex dissolutione militaris & civilis disciplinæ, quæ sapientia & cognitione rerum continetur; sed etiam quia, nisi alumna studiorum ratio ad privatæ publicæque vitæ regimen admoveatur, ac virtute, rationis ministra, voluptatibus resistatur, inter muliebres & enervatos populos mulierosissimus & enervatissimus Princeps, Regni oblitus & sui, levi negotio de imperii ac vitæ possessione deciderit. Quod atrocissimus humanitatis hostis, nisi vellet consulto desipere, satis edoceretur a vicissitudine ac fato imperii sui, cujus prope cum Luna tyranni mutantur; quasi ad hoc triste auspicium illud sibi stemma susceperint. Nam ex corruptissimo populo, gravioris cujusque studii prorsus oblito, inque sola crapula & lascivia exercitato, quando non crebri ex desidia & egestate machinatores rerum novarum, veterisque Principis insidiatores, ut novi Regis largitionibus expleant cupiditatem & libidinem illam, in quam prioris domini beneficia jamdiu absumserunt? Quis vero non magis inflammetur spe recentioris commodi, quam timore cohibeatur illius, quem semper vidit e gynæceo prodeuntem, atque hinc cynædo, illinc muliercula nixum castra invisentem, spadonumque agmen ducentem ante milites, bellaque sua meretricum in gremio gerentem; & inter impudicos complexus aliorum pericula ex arce spectantem? Hunc ante in cubili suo a libidinibus, quam in acie ab hostibus profligatum, atque a propriis vitiis prædæ aliorum objectum, quem nos Latini adhuc nullo juris præsidio, nulla virtutis opinione, sed populorum errore, nostrisque discordiis tam late regnare patimur, an diutius patiere tu; qui finibus illius terra marique immines, & voluptates pariter atque hostes debellare assuetus, contrariis studiis educatus, Regem te præbes non affluentia deliciarum, sed curarum gravitate, præstantiaque operum atque consiliorum; quique ne, ut ille, imperator esses antequam miles, neve, in pace omnibus imperans, in bello vel imperiis pareres alienis vel ea præciperes aliis, quæ ipse ignorares, nos es veritus Majestatem ipsam ab ineunte ætate subjicere militari servitio. Cum nihil dignius existimaveris pueritia dominatoris tantarum gentium, quam armatum tyrocinium & militaria lege, ac desiderio Populorum; ad imperium vero, & armorum arbitrium, commilitonis nomine ipsius jure cinguli, raroque fortitudinis experimento pervenires.

His tuis ex viribus, ingenti suorum clade huic latroni exploratis, quando proximis misit opem Scythis, quando magis eum cohorruisse putemus, ubi te accepit in bellis Polonorum civilibus munitissimas hostibus urbes ac fertiliorem agri partem ademisse, tuoque vel ductu, vel auspicio Moschos milites tot in præliis, aut pugnando superasse, aut ante vita quam loco cessisse, dum consererent manus cum nationibus, ipsi diu quondam nomini Romani gravibus, postquam nostris in castris militarem disciplinam nostrum in exitium arripuerunt; & nunc ubique adeo formidandis, ut inter tot certantium populorum potentissimos exercitus, quo se signa illorum verterint, eo allatura victoriam videantur? Quarum nationum quo antiquior est, clariorque fama, eo altius laus tua attollitur, qui adversus gloriæ competitores adeo polles eminesque virtute, ut liceat audiente ipso te, sine fraude atque injuria, imo & lucro cum tuo laudare inimicos. Qualem te igitur fugam injecturam putamus imbelli Asiæ prædatori, quando tantas copias talesque milites, talibus in præliis exercitatos in eum commoveris, eodemque una coegeris tuarum gloriam & pondera victoriarum, contraque illius arma terrorem direxeris nominis tui, cujus vel solus rumor ganconem illum impurissimum in concubinarum ulnis exanimaverit? Qui vero concursus ad te fiet earum nationum, postquam tuus armorum fulgor solverit veternum illum, quo per tot sæcula misere occupantur? Quo plausu effundentur ad te, postquam tuis e castris per nostrates eruditionis Græcæ præceptores, liberos & præconia majorum extulerint? Quo fremitu & luctu presentem Græciæ calamitatem execrabuntur, quando post agnitionem parentum & sui ipsorum, veterum ejus nationis dominationem cum hodierno servitio, atque antiquorum cognitionem & acumen cum horum caligine comparaverint? Non talis Jason cum aurei velleris præda rediit ad illos, qualis eodem insperato adveneris tu cum longe majoris precii vellere; nempe cum thesauro sapientiæ; qui possessoribus suis vitam eam beatam tribuit eamque libertatem, quas stulti, dum ex auro petunt, cum longis usque miseriis, cumque servitute ac periculis, imo & sæpe cum morte commutant. Nec tanta Theseum gloria interemto Minotauro in patriam comitabatur, quanta Græciam per omnem sequetur, circumfundetque te, qui monstrum longe voracius longeque immanius e tot populorum visceribus avelleris, ac tyrannum sustuleris plurimo Europæ, atque Asiæ, Africæque sanguine ac tabo manantem. Eoque tu beneficientior eris Græciæ liberator, quam T. olim noster Quinctius, quo turpiori, graviorique jugo eam subtraxeris: ut nos oporteat nomina tibi quærere majora, neque liberatorem tantum Græciæ te, sed & instauratorem & parentem appellare: quandoquidem tuas per victorias ad majorum artes Græci redeuntes, & ingeniorum libertatem recuperantes, veteres quoque gloria & virtute illico reflorerent, non aliter ac salubres & fœcundi colles, post frigus nivemque diu toleratam, eamque vere novo resolutam lætius opinione revirescunt & segetem fundunt uberiorem: Itaque natio Græcorum, quorum in ingeniis optima quæque semina conduntur, novos quos regigneret ac rederet, Lycurgos, Solones, Pericles, Themistocles, Homeros, Pythagoras, Democritos, tibi deberet uni; qui fœtus eos, contra objectam servitutem animorum frustra enitentes, depulsa violentia, immissaque nativarum & cognatarum iis gentibus

bus artium fuce, ad ortum exciveris, excelſamque mentium prolem vocibus noſtratium eruditorum ſuis velut e folliculis excluſeris. Quantoſcunque vero illi fructus ingeniorum longa ignorantia plurium ætatum amiſiſſent, eos idem penſares tu fœnore ingenti, quod illuc adduceres novorum inventorum, apud nos in dies prodeuntium, quibus cogitata veterum Græcorum: plurimaque ſagaci ab eis ratione proviſa ſcriptiſque prænunciata, hodie rerum experimentis & ſenſuum teſtimoniis comprobantur: adeo ut non modo tu veterum illis bonorum aſſertor; ſed & novorum viderere procreator.

Verum bona hæc omnia & utilitates, ſive militares, ſive civiles, ut ad alios e regno tuo deriventur, oportet eodem antea in Regno coaluerint, non moribus tantum, qui tempore ſenſim relaxantur, & hominum interitu dilabuntur; ſed etiam legibus, quibus hominum & ætatum variationibus occurratur. Nam fateor ſane nullarum eſſe virium leges niſi præſumantur animis Populorum, & præparentur uſu atque comitentur mores, quibus longe altius ac firmius, quam edictis & pœnis, in pectoribus hominum inſeruntur. Sed aquarum inſtar fluxi fuerint mores & caduci, niſi contineantur atque pangantur legibus, quæ actus inſtabiles, & opiniones variabiles ad certam juſtitiæ formam & communis utilitatis rationem revocantes, confuſoſque ſenſus & vagos in certos privatæ vitæ modos, publicique regiminis regulas conferentes, juris notam & majeſtatem publicam imprimant virtutibus armentque ſapientiam voce ac poteſtate populari: per quam ad voluntariam bonorum operum conſuetudinem vis civilis & legitima neceſſitas adjungatur, legibuſque perpetuetur, quidquid morum antea volubilitate ferebatur, atque ita leges moribus fundentur, & mores legibus muniantur. Prudentiſſime numque fabularum ſtructores eidem Numini frugum & legum inventionem attribuerunt, ad ſignificandum naturalis & civilis vitæ nexum; quarum illam frugibus, hanc legibus alendam docuerunt. Certam vero juſtitiæ formam a natura inſculptam animis noſtris, atque ab affectione prava occupatam extulerunt præceptis quidem ſuis Græci Philoſophi, & eorum legislatores Populis propoſuerunt, atque concluſerunt legibus iis, quas ad ſe ſimul cum civili omni Græcorum ſapientia Romani coegerunt; ſed quemadmodum omnia humanam ad utilitatem a Græcis inventa in melius Romani converterunt, ita & radicem ejuſdem utilitatis juſtitiam & legislationem univerſam, longe prudentius, & illuſtrius, ac felicius ab eis excultam invenimus. Etenim in Græcis civitatibus cum ipſis primis illis latoribus legum ſapientia civilis interibat, neque alia ſuperabat, niſi quæ inter acutas, nullius tamen uſus, controverſias in Philoſophorum ſcholis otiabatur. Et ſi quid emergeret, incertum an publica lege contineretur, id agitabatur ſubtilitate atque interpretatione diſſidentium inter ſe oratorum, leges utrinque trahentium ad cauſam ſuam: quod poſtea judicum prudentia ita definiebatur, ut adhuc tamen, ſi quid ſimile oriretur, in controverſiam venire oporteret, quia judicia ſingularum cauſarum non communes juris regulæ ſunt, ſed peculiares juſtitiæ opiniones: quæ nullam pariunt generalem definitionem in ulla controverſia, neque ad ſimile judicium jure ſuo pertinent, niſi nova judiciis voluntate recipiantur. Cum igitur negotia legibus generaliter comprehenderentur, multaque in dies e re nata offerrentur, non proviſa majoribus, quæ vagabantur extra legem eveniebat, ut plurima paterent affectionibus humanis, & ſub magiſtratuum, & judicum libidine caderent. Præterea leges pariter atque humana omnia, longa die languent, & propter corruptæ naturæ repugnantiam uſuſque raritatem ſæpe ſqualleſcunt, velut ager, qui non exerceatur: ideo, mortua cum legislatore ipſo legum cura, ſenſus earum aut aſtutia turbabatur, & præſtigiis oratorum, aut ab ipſa vetuſtate abſumebatur. Hinc Romani, Græcis longe prudentiores, aſſiduos cultores dederunt legibus, radices caduos nutrituros ac ſapientia ſua irrigaturos, ut latius effunderentur. Hos appellarunt Juriſconſultos, quod illorum oracula de re quiſque ſua conſulerent. Quorum conſiliis, propter opinionem ſapientiæ atque alienationem eorum a privatis ſtudiis, auctoritatem a lege ſecundam attribuit, antea quidem Populus diu, poſtea etiam Imperator; qui judices ipſos & magiſtratus

ſtratus reſponſis addixit Juriſconſultorum, quos a germano ſenſu legis eruendo, publiceque promendo, neque promiſſa ulla merces, neque partium ſibi plerumque ignotarum amor aut odium deflectat; ſed potius ad ſolius veritatis & æqui bonique pronunciationem hortabatur cura propriæ dignitatis, expectatioque honorum, qui ſola integritatis opinione illis offerebantur: ut non mirum, ſi auctoritate fideque vel ſummis præſtiterint Oratoribus, &, propter merita explicatæ traditæque juſtitiæ, ipſos etiam exercituum duces & hoſtium victores vicerint apud cives in petitione Conſulatus. Hi autem, leges in fidem cuſtodiamque ſuam accipientes, ac ſe diuturno doctrinæ, atque integritatis experimento miniſtros & ſacerdotes earum populo præbentes, quidquid in Græcorum ſcholis, & in diſputationibus Philoſophorum ex uſu juſtitiæ & Romanæ civitatis invenirent, patriis judiciis adplicandum auferebant: ut, ibi, ubi cauſa deficeretur verbis legis, eo vel Dialectica ratione, vel moralis doctrinæ præceptis occurreretur; ubi vero lex obſervaretur aſperior, ibi regulis temperaretur æquitatis. Itaque ſcriptum jus, quando vel deeſſet, vel ex eventu publice noceret, a Juriſconſultis aut ex Philoſophia ſupplebatur, aut leniebatur utilitate communi. Vetuſtatis vero injuriam, quæ obſcurandis verbis & obliterandis moribus leges abduxiſſet ab intelligentia populari, notitia diſcrimineque temporum avertebant, & peritia formularum ac nativa proprietate verborum: quibus opibus aluerunt leges, artemque inſtituerunt, quæ ſenſum eis perenem vitamque clariorem redderet, quam Juriſprudentiam appellarunt, quamque ſeorſum a nationibus aliis primi ſolique invenere Romani; qui, ut alias artes ac doctrinas a Græcis acceperint, hanc certe ipſi unice protulerunt, ſibique habuere præcipuam & peculiarem, quæ utilitate atque dignitate adeo antecellit, ut cæteræ civili commercio eatenus dignentur, quatenus Juriſprudentiæ

Jani Gravinæ Tom. II.

parverint, quæ, utpote interpres legum, & lingua juſtitiæ, jure ſuo imperat ſcientiis & civilibus cunctis artibus, quarum ſine congruo modo, a Juriſprudentia ſtatuendo, & ſingulis perſonis ac rebus aptando, nulla in publica re foret utilitas. Quæ divina profecto ars tranquillitatem & concordiam creat cum in populo univerſo, dum publico juſtitiæ adſpectu perfruimur, tum in ſingulis civium animis, qui nulla opinione injuriarum exulcerantur, quando Juriſprudentiæ miniſterio naturalia & civilia juſtitiæ fœdera, nempe leges, apte adhibentur ad cauſas, convenienterque perſonis & negotiis advolvuntur.

Juſtitiæ namque ſolius eſt pacare animos, & componere diſcordes affectiones, quæ ſicuti ſuſcitantur injuriis, ita juſtis reſponſis compeſcuntur, & allatis honeſtis cauſis omnino ſedantur. Quod a ſolis legibus, utpote generalibus, & abductis a ſingulis rebus, perſonis, & caſibus, minime aſſequeremur, niſi a juriſprudentia jus omne humanum, exculptum exemplis, confirmatum argumentis, concluſum regulis, diſtinctum exceptionibus, ac definitionibus expreſſum haberemus; atque ab eadem ſingulas conventionum, & voluntatum humanarum, civiliumque factorum ſpecies legibus prudentiaque digeſtas, & longis meditationibus excoctas acciperemus; ut quicunque affectionis expers acuta ratione, ac debita æquitate civilia & forenſia negotia perpenderit, propter inditam cuique juſtitiæ notionem ſuo Marte feratur in ſententiam Juriſconſultorum, qui pro cauſis & negotiis omnium ætatum ac gentium judicia protulerunt, dum affectioni omni vacarent, & jura poſterorum puris animis dirimerent atque librarent. Ideo longe tutius de rebus præſentibus mente aliena, quam propria judicabimus, eorum ſi ſcripta in conſilium vocare, ac potius mortuos, quam vivos, audire voluerimus.

Nec minorem illi juſtitiam *in verbis*, (*)

(*) Argumentum, quo leges Romanas commendat, triplex, primum quod juriſprudentia Romana præſtet ipſi etiam Græcæ, ſecundum, quod ſatius ſit in cauſis dijudicandis uti judicio ſapientum mortuorum, quam ſententia vivorum, tertium, quod Juriſconſulti veteres non minus nitore linguæ Latinæ & eruditione quam rerum ipſarum pondere commendentur, qua in parte admirabilis eſt illa cumulatio prædicatorum, qua legum Romanarum majeſtatem ſine luxu, faſtum ſine pompa, & reliqua commendat.

quam in rebus adhibuerunt, apte vocibus utentes, nativasque sedes illi attribuentes, Diisque ipsis dignum orationis genus usurpantes. Quo solo scribendi genere, non modo Jurisconsulti præstant Latinis ceteris, verum & Latini antecellunt Græcis: qui ut omnia eloquentiæ genera & invenerint, & ad summum perduxerint, Jurisconsultorum tamen Romanorum sicuti scientia, ita & stylo caruerunt. Habuerunt enim nostri majestatem sine luxu, fastum sine pompa, supercilium sine rusticitate, splendorem sine fuco, sine horrore vetustatem, parsimoniam sine macie, sine caligine brevitatem: ac præ ceteris melius elegantiam cum simplicitate, cum decore proprietatem, & oraculorum sanctimoniam blanda cum perspicuitate conjunxerunt. Quamobrem hæc ars una Græcorum legislatorum scientiam, Romanorumque prudentiam & gravitatem; prætereaque moralium Philosophorum honestatem, Physicorum soliditatem, Dialecticorum acumen, grammaticorum eruditionem, & meliorum scriptorum elegantiam comprehendit. Hac sola ex arte auxilia civibus, monita Prætoribus, mandata Præsidibus, consilia Principibus proferebantur: ut merito quæcunque vel ipsi Jurisconsulti respondissent, vel edixissent Magistratus, vel privatis etiam in petitionibus rescripsissent Imperatores, transierint in assiduam Jurisdictionem, ac vim acceperint parem primoribus legibus: deducebantur enim nativo e fonte justitiæ, ac moribus & auctoritate propagabantur illius populi, qui suam in civitatem ac nomen populos traduxerat universos. Cujus triumphi non tam victoribus, quam ipsis devictis gentibus profuerunt. Etenim Romani ut Imperium justis præliis partum æquitate conservarent, æternoque tempore retinerent, non tam sua, quam aliarum gentium causa imperarunt. Quippe qui non modo virtutum suarum commercio, & rerum gestarum admiratione, ac nativa Italorum gravitate animos aliorum composuerint. Græcorum levitatem, Afrorum perfidiam, Syrorum ignaviam corrigentes, perque humaniores literas Arcticarum regionum barbariem auferentes; verum & leges & magistratus, & linguam, & Imperium, & ipsam denique patriam cum omni humano genere communicarint. Quapropter sicuti multiplices ciborum species valentem stomachum ingredientes, salubres in humores ad totius corporis alimentum convertuntur, ita varia dissimilium locorum & nationum ingenia, sub hoc cœlo & sub illa institutione civilibus & militaribus rebus attemperata, exemplisque nostris veluti complanata, in Romanos mores ad terrarum regimen transferebantur. Itaque ab hac civilis vitæ, ac divini humanique juris communione societatem omnium gentium conflaverunt, ut Romanum esset, quodcunque oculi viderent, & civitatem homines non a Latino solo acciperent, sed a morum ac legum professione Romanarum. Quo nomine majores nostri Imperium crearunt omnium uti maximum, ita & justissimum, solaque volentia fortunæ, nullo vero nec dissidentium populorum, neque contrariorum fœderum; neque temporis aut oblivionis jure interiturum: quippe promiscuum, nec Romanis modo, sed universis gentibus paratum & utile; ut e re omnium fuerit manere perpetuo, quod ceterorum commodo haberetur institutum. Quis enim populus, utcunque remotissimus, non imperabat in ea urbe, ubi Senatus & jurisdictio & ipse denique Principatus patebant nationibus cunctis, quandocunque aut homines egregios, aut præstantissimum civili, & militari virtute ducem Latinis populi obtulissent?

Quales Romanum tulit imperium plurimos. Etsi enim inter milites, ubi præcipue Senatus langueret auctoritas, ratio viribus obtemperaret, raro tamen quis ad Imperium attollebatur, nisi aut omnibus virtutibus, ut Nerva, Trajanus, Titus, Pertinax, Pius, Marcus, Alexander, Probus, Constantinus; aut fortitudine militari, ut Commodus, Caracalla, Maximianus, Decius, aut rerum gestarum tali gloria, qua vitia obruerentur, ut Vespasianus, Adrianus, Severus, Aurelianus, Diocletianus, Julianus, aliique ceteris mortalibus præstitissent. Et qui partim suis sceleribus, partim offensione scriptorum, inter monstra hominum referuntur, aliqua tamen virtute adeo excelluerunt, ut ejus laudem etiam

etiam apud posteros in tanta vitiorum infamia conservarint. Quis enim Tiberio doctior? Quis Nerone cultior? Quis Cajo? eloquentior? Quis Domitiano ingeniosior? (*) quorum alter Oratores, alter Poetas omnes ævi sui superavit. Nam quid dicam de horum quatuor & similium sagacitate, magnificentia, liberalitate? adeo ut Romanorum Imperatores in priscorum, quorum etiam facta vicerunt, Heroum virtutes, & vitia successisse videantur. Cum enim non hereditario jure, sed voluntate plerumque ac motu legionum ascenderent ad regimen orbis terrarum; nemo tantam ambitionis & consiliorum immensitatem concepisset, nisi habuisset animum infinitæ dominationi æqualem, ideoque summarum pariter virtutum capacem & vitiorum. Nullus vero maximus animus, etsi vitiosissimus, absque rerum optimarum seminibus, quæ inter opes & delicias corrumpuntur, quæque aliquando, ex ipsa corruptione per operas emicantia, perstringunt aciem popularium ingeniorum, arbitria rerum tumultuario plerumque judicio, inconsulta cæcaque admiratione tribuentium. Tanti ergo ad Imperii gubernaculum, sicuti mentes congruas motibus omnibus rerum humanarum, ita & leges universorum populorum rationibus convenientes oportuit adhibere: quæ scilicet naturæ communi hominum consentirent, & civilibus negotiis quadrarent omnium regionum ac temporum. Unde non mirum, si populi, qui, abrupto communi hoc vinculo, sibi proprios Reges crearunt, Romanas tamen minime dimiserint leges, ne amitterent humanitatem, & regulas rationabilis vitæ. Quo magis iisdem legibus, Magne Moschorum Imperator, tibi receptis est opus, ac pacandos mores tot ac talium populorum, qui si bene indolem illorum dixeris, scientias facultatesque alias per te nuper sibi patefactas in publicam & privatam fortasse perniciem traxerint, nisi beneficio quoque tuo Romanas leges, quæ rectum bonorum doceant usum, aliquando accipiant, & complectantur Jurisprudentiam nostram: quæ in civitatibus non opes modo regit, & jura cujusque tuetur; sed imperat singulis ordinibus civium, & professoribus doctrinarum, & magistratibus, assidetque Principibus, inter quos una & subjectos alit concordiam, dum officia præfinit, ac statuit modos dominiorum, animisque imprimit & commerciorum fidem, & contractuum auctoritatem, & magistratuum jurisdictionem, & Principum præcipue majestatem. Quo si studio ingenia teneantur, & inter boni & æqui assiduo præcepta versentur, sensim amittent feritatem eam, quam e moribus hominum nulla vis nullus carnifex excusserit; nisi per Jurisprudentiam cognitio juris, ac justitiæ persuasio metum pœnarum antevenerit. Operum enim pravitatem pœnæ auferunt, non animorum: qui nisi ratione regenerentur, statim noxias ad operas erumpent, quandocunque crimina vel celare fraudulenter, vel violenter munire licuerit.

Tuum vero, PETRE, regnum scimus quam varios discordesque mores complectantur in tanto numero regionum, & volubilium ac seditiosarum gentium: quæ, antequam in hanc Imperii formam tua & majorum tuorum prudentia coalescerent, se invicem diu discerpserant, mutuis cladibus prorsus perituræ; nisi dilaceratas provincias & membra divulsa collegissent, corpusque de illis integrum composuissent arcessiti e Vareghis, (**) populis finitimis, Reipublicæ constituendæ Triumviri: quorum in auctoritatem & fidem ultro se dimicantes populi, suarum irarum & voluntariarum cladium pertæsi, tradiderunt; ut salutem, quam a se invicem impetrare non poterant, a potestate atque arbitrio acciperent alieno. Talium tu ingeniorum fervorem, atque mobilitatem nulla melius exercitatione continueris, quam studio legum Romanarum, quibus ab impetu deducentur ad rationem, atque a rixis ad judicia transferentur, quæ majores nostri præliorum loco substituerunt, ut res, quæ antea, non sine frequenti cæde publicoque cum periculo per vim repetebantur, in posterum non in acie, sed in jure manu conserta reposcerentur, ac verum prælium

(*) Hic quoque locus adeo emicat, ut nobis parcere nequeamus, quin ipsum quoque fulgidula stella notemus.

(**) Accolis maris Balthici ad sinistrum litus venientium e Russia. Res seculo octavo, vel, ut alii maluunt, nono contigisse fertur.

in imaginarium aliud festucarum conflictu imitatum converteretur. Legibus itaque his in Imperio tuo receptis eveniet, ut cives, vel in scholis de justo & injusto inter innumerabiles controversias, vel in foro de jure quisque suo per quotidianas diuturnasque lites disputantes, dum utilissimis quæstionibus implicabuntur, a cogitationibus rerum novarum & motibus civilibus abstrahantur; perque hanc ingeniorum salubrem longamque occupationem Principi securitas, & civibus tranquillitas procreabitur.

Et quoniam Romanus civis non a natalibus, verum a legibus & moribus constituitur, ideo cum jure nostro Romanam etiam civitatem per omne tuum imperium propagabis, nosque de Scythia, unde Radagaisos, & Attilas extimuimus, novos Stilicones, & Aetios expectabimus. Quid vero tuis laudibus istiusque imperii amplitudine dignius? quam ad regimen publicarum & privatarum rerum in consilium tibi, ac tuis adhibere Solones, Numas, Crassos, Brutos, Papinianos, Scævolas, Justinianos, totque alios sive de Græcorum Sapientum, sive de Romanorum Regum, Imperatorum, & Consulum numero: quorum animus adhuc nostris loquitur in legibus: quibus illi pari æquitate, parique omnium gentium admiratione, ac felicitate tuum quoque regnum administrarent, quibusque propriam tu justitiam atque prudentiam ad posteros transmitteres. Hac autem legum æquitate Romani longe amplius, quam triumphis ac præliis profecerunt. His enim innumerabiles quidem ex universo terrarum orbe palmas, caducas tamen & fragiles, collegerunt; illis vero præmium a Deo Optimo Maximo immortale sibi meruerunt & infinitum, Religionis videlicet auctoritatem, & veritatem æternam concreditam fidei, sapientiæ, ac probitati Romanorum: ut cœlestis hic thesaurus in eorum animis velut in sacrario receptus, & a fallaciis munitus latissima illorum dominatione populis traderetur universis; qui civilium negotiorum causa Romam convenientes, animorum salutem apud nos inveniebant, eamque ad suos redeuntes adducebant: adeo ut Romanis armis & legibus omnium rationum conventus divinitus videatur institutus, quo, sicut humor e capite artus per omnes, ita Christiana Religio ex una urbe, rerum humanarum & divinarum domina facilius & celerius in reliquum Imperii corpus ad cunctos populos diffunderetur. Hinc nexus communis Imperii, quo universorum hominum societas continebatur, duplicatus mirabiliter fuit communione Religionis, quæ, cum profanam in sacram auctoritatem convertisset, eam inermi Romæ tribuit immortalitatem, quam vana sibi spe veteres ab armorum potentia pollicebantur. Habent enim Romæ sacro ex hoc fœdere populi communia munera, communes dignitates, & ipsam supremam sacrorum potestatem communem. Habent & civiles leges jure Pontificio munitas & explicatas, ut, quidquid præclari contineret Imperium, in Ecclesiam videamus esse translatum. Habent in conspicuo rerum divinarum arbitrio judicii securitatem ad controversias dirimendas, ac tranquillandas animas, frustra pacem in privata sua vel alterius auctoritate quærentes, & ad cohibendos civiles tumultus, quibus ex varietate Religionum regna quassantur, atque ad incertum vel popularem statum revolvuntur, statim ut unicus & summus Religionis interpres contemnatur. Habent postremo Romanæ auctoritatis cultores præter divina, quibus omnia subjacent, humana etiam bona, quorum ad culmen nihil profecto deesset, nisi deesses tu, cum quo desunt plurima. Etenim per unum hominem terrarum novum Imperium, & Constantinum alterum acciperemus, si nobis complectendum dares te, non modo votis, verum & lacrymis omnium nostrum vehementer expetitum, postquam tuo de beneficentiæ fonte haurire cœpimus, tuoque munere sacris nostris in ditione tua locum, & iter ad Sinas impetravimus. Quibus etiam sacris tu si, Deo cœptis adspirante, sublimem in excelso animo tuo sedem præbueris, qualem sparseris lætitiam inter cœlites, qui virtutibus tuis plaudentes, & clam nostris oculis in occursum amplexumque tuum descendentes, floribusque sternentes humum tibi calcandam ad matrem communem animarum, novum filium cum tot regnorum comitatu venientem deducerent, prærirentque in posterum legiones turmasque tuas Africam, & Asiam sanctis, & felicibus auspiciis nostris ab impiæ dominationis, & æternæ damnationis calamitatibus liberaturas. Indeque te Trojano meliorem, & feliciorem Augusto prædicaremus. Quod nostris et Ecclesiæ universæ precibus annuat Deus.

Kalendis Majis MDCCVII.

ORATIO

DE JURISPRUDENTIA,

AD SUOS JURIS CIVILIS AUDITORES.

DIvina Providentia, (*) qua universa ducuntur atque gubernantur, cum omnibus aperiatur eventis, tum duabus hisce maximis humanarum rerum conversionibus mirabiliter sese patefecit, dispersione scilicet Judæorum atque fuga & victoriis Romanorum. Illis enim divini, at his humani juris inter mortales est ratio distributa. Judæi sane patria profugi, quocunque terrarum penetrarent, cum divinæ secum legis arcana deferrent, commercio atque consuetudine plurimarum gentium, scintillas divinarum notionum longe lateque diffuderunt: quibus etsi non omnes ante Christum tenebræ solvebantur, tamen excessit e sapientiorum animis multitudo Deorum, cultusque illius absurda superstitio deflagravit. Unde orta post Evangelii luce, cum in Apostolorum vocibus ubique pervolantibus Judæi patrum suorum vaticinia recognoscerent, et exteri sapientes præceptas Judæorum commercio notiones cum Apostolorum nunciis componerent; dum nova cum veteribus concurrebant, et Philosophia cum Religione conspirabat, universus terrarum orbis mira celeritate ad veri Numinis cultum exarsit. At humana ratio, e divina luce suscepta, cujus dubius modo fulgor primorum parentum culpa superfuit, morum barbarie, quæ ad omnes pene nationes veluti contactu processerat, adeo languescebat, ut homines a belluis oratione magis, quam honestate ac moribus discernerentur. Sane Græcorum populus, non cultor modo sed auctor atque inventor erat honestatis; verum quia suum augustos intra fines continuit Imperium, seipsum tantum publice, at exteros privata disciplina Philosophorum excoluit, minime vero nationes integras barbarie spoliavit; scilicet hanc Deus Optimus Maximus gloriam atque felicitatem Romanis reservaverat, ut suis præliis condocefaceret genus humanum, gentesque ab se devictas non jugo premerent servitutis, sed a ferinis moribus et ab immanitate ad veram libertatem, nempe ad honestatem et rationem, suis revocarent legibus, quibus tantum propagandis Populus Romanus felici victoriarum cursu, a divina providentia rerum humanarum arbitrium videtur accepisse. Non enim hominibus illi bellum indixere, sed vitiis, atque, ut humanitatem homini redderent arma sumpserunt: cum ii, qui Romanis vivebant legibus, non tam victori populo parerent, quam Imperio rectæ rationis obtemperarent. Quamobrem subjectos illi suos raro nota servitutis inurebant, sed honore amicitiæ atque sociorum appellatione complectebantur: sæpeque, illis a barbaris moribus ad Romanarum legum sanctimoniam traductis, civitatem Romanam aperiebant & civilium honorum viam, quo intelligerent, non servos a Romanis tot bellis quæri, sed comites atque consortes honestæ vitæ, quæ a victorum legibus cunctis populis proferebatur. Quocunque igitur arma legesque Romanorum incumberent, inde confestim iniquitas excedebat atque turpitudo.

Quemnam enim fugiunt impia filiorum & parentum apud Persas conjugia, humanarum carnium epulæ apud Indos & Scythas, fratrum & sororum nuptiæ apud cultissimos alioqui populorum Athenienses, furtorum apud Lacedæmones licentia? Quis ignorat veterum Ger-

(*) Quemadmodum opusculum primum librum secundum originum juris in compendio fiste bat, sic hac oratione proponitur epitome earumdem originum libri primi, adspersis tamen quibusdam novis, qualia fucrint commemoratio Jani Parrasii Consentini, civis Gravinæ, p. 592., classis Jurisconsultorum semonum Deorum, pag. 593., & quæ ibidem de Antonio Augustino dicuntur: admonitio denique Theologorum, pag 594., Exordium Auctoris de præstantia Populi Romani in armis & legibus locum pedibus Auctoris sæpissime tritum aperit.

Germanorum feritatem, Gallorum truculentiam, Afrorum immanitatem, vel humanis victimis cædendis, vel fallenda fide, vel iniquis contractibus ineundis, ve obſcænis, atque nefariis libidinibus exercendis, quæ flagitia, non vi, aut clam ſed palam, ac rite ſuſcipiebantur? ea tamen omnia Romanis armis & legibus terga verterunt, ſuaſque ſecum abſtulere peſtes. Ita ut vincentibus Romanis non modo jus de injuria, fortitudo de ferocia, ſed humanitas de crudelitate, modeſtia de obſcœnitate, honeſtas de turpitudine; virtus denique de vitio & feritate triumpharet. Hinc D. Auguſtinus ait: *per Populum Romanum placuiſſe Deo terrarum orbem debellare, ut in unam ſocietatem Reipublicæ legumque perductum longe lateque pacaret.*

Optimis enim condendis legibus adeo Romani ſtuduere, ut dum victricibus armis provincias ingrederentur, ſi quæ illic honeſta inſtituta reperirent, in ſuas leges moreſque traducerent. Unde, ne alias attingam, Rhodiorum leges rei navali regendæ præ ceteris idoneas in civitatem acceperunt. Hinc jus civile non modo ex ingenita Romanis moribus probitate diſciplinaque ſapientum, ſed e melioribus gentium aliarum inſtitutis coactum fuit atque compoſitum, ut non tam unius populi jus exiſtimari debeat, quam honeſtas ipſa naturæ ſcriptis tradita, & communis ratio gentium univerſarum ad ſingulas, res, perſonas, eventuſque producta.

Hinc mirabilis illa Romanarum legum cum Moſaicis convenientia veteri JCto animadverſa: hinc liberarum etiam gentium in eas conſpiratio atque conſenſus. Hinc earundem etiam, cedente imperio, in univerſo prope terrarum orbe continuatio. Hinc jus civile, inundante barbarorum ferocia, ſolum illico vertit; barbarie vero abeunte, gradum revocavit, quo intelligamus, illud nonniſi cum probitate ac ſapientia cultuque bonarum artium coaleſcere. Quanquam enim quis Romanum Imperium ſibi excutiat, non tamen ſe unquam Romanis legibus exſolverit, niſi repudiet ſimul honeſte vivendi conditionem. Quisquis enim recta ratione in ætate utetur, & honeſtatis anticipationem ad uſum civilis commercii deducat, per ſemet Romanis legibus conveniet; Romanuſque JCtus erit, quisquis recte de moribus & juſtitia ratiocinetur. Romanum enim jus eſt honestas ipſa naturæ, quam exſculpſit e menibus philoſophia, Romanique mores pie ancteque coluerunt. Nam, ne quid attingam de Romuli Tulliique legibus, certe Numa, qui propter ſapientiæ famam e Sabinis fuit ad Regnum evocatus, cum excelleret ipſe Græcorum Italicorum doctrina, duxit ex ea leges, quibus ferocientem populum demulſit & cicuravit: &, antequam in Græciam Romani legatos petitum leges mitterent, habebant in Italia præclaram Philoſophorum ſectam, unde morum diſciplinam tollerent. Ea erat Pythagoreorum Philoſophia, cujus inſtitutis omnis ea tenebatur Italiæ regio, ævo illo doctrina & omnium artium inventione atque elegantia præcellens, quæ, cum tota Græcis coloniis, moribus, & peregrinationibus celebraretur, Magna Græcia dicebatur. Ex qua cum in univerſam Italiam doctrina permanaret, tanta ſectæ illius apud poſteros manſit auctoritas, ut conturbato diſcrimine temporum, ii etiam, qui Pythagoram præceſſerant, Sapientes Pythagorei vocarentur; unde natum, ut Numa Pythagoreus haberetur, cum longo intervallo temporis Pythagoram antejerit. Fuit enim Pythagoras in Italia temporibus iiſdem, quibus Lucius Brutus Tarquinios Roma ejecit: qui error in mentes irrepſit, quia Pythagoreum nomen tanta erat auctoritate, ut non jam certæ ſectæ, ſed univerſæ ſapientiæ appellatio fuerit ac tota. Hac autem doctrina nequaquam crediderim caruiſſe Romanos, publicæ diſciplinæ recte inſtituendæ ſtudioſiſſimos, & in finitimorum ad Pythagoreos confluentium exemplis excitatos. Legati autem quærendis legibus miſſi, non modo Athenienſium & Lacedæmoniorum, ſed celebriorum omnium Græciæ atque Italiæ populorum leges deſcripſerunt, in quibus eminebant eæ, quas Magnæ Græciæ urbes a Pythagoreis acceperunt, quaſque etiam a tribus legatis fuiſſe deſcriptas, tradidit Servius in Virgilium.

Athenienſium autem leges, unde Decemviri potiorem juris Romani partem traxerunt, Draconem & Solonem, ut omnes norunt, auctores habuere, ſapientiſſimos illius æratis, qua ſtudia doctrinarum

narum non ad inanem gloriam, ſed ad uſum Reipublicæ vertebantur. Leges vero Lacædemoniorum, cum ceteris Romam a legatis translatæ, manarent etiam a Philoſophia: quippe latæ a Lycurgo mortalium ſapientiſſimo, qui Homeri, ſapientum omnium parentis, atque magiſtri primus poemata vulgavit. Leges vero, e Grecia Romam relatæ, non modo Decemviros, qui prudentia potius & uſu rerum humanarum, quam literis valebant, & Græcum hominem habuerunt adminiſtrum, eumque doctiſſimum, qui auctor fuerat Romanis rogationis legum e Græcia petendarum. Hermodorus is fuit Epheſius qui tum in Italia exulabat, nullam aliam ob cauſam, ut Heraclitus apud Tullium tradit, a civibus ſuis expulſus, niſi ne quis inter eos eſſet, qui unus excelleret. Cum igitur jus noſtrum e Philoſophiæ ſinu defluxerit, ejuſdemque manu in Romano ſolo coaluerit, omniumque ſapientiam huc attraxerit; quid mirum, ſi a Cicerone XII. Tabulæ omnium Philoſophorum bibliothecis anteferantur? Quid enim eſt aliud jus Romanum, niſi ratio imperans, & armata ſapientia, ſententiæque Philoſophorum in publica juſſa converſæ? His autem jactis civilis Philoſophiæ fundamentis cohærebat optime, quidquid ſuper his exſtruebatur a Juriſconſultis, qui priſco ævo erant Pontifices, quorum e collegio, veluti ex tripode, reſponſa de jure proferebantur. Ac ſane hi non tam ratione atque ſcientia, quam æquitatæ nativa atque collatione ſimilium exemplorum, leges ad oblatas controverſias producebant, quod ſtudium appellabatur diſputatio fori, unde proceſſit priſca Juriſprudentia, quæ collectio erat atque complexio peculiarium quæſtionum atque diſſipatarum ſpecierum, quas vetuſtiores Juriſconſulti ex obſcura legum ſententia, per interpretationem eruta, definierant. Quo circa incondita erat initio Juriſprudentia & rudis, ut multis ac præcipue L. Craſſo deſiderium cieret juris civilis in artem redigendi; donec repertus eſt Ciceronis ævo, qui ad moralem Philoſophiam, quæ leges peperit, adjungeret rationalem qua Juriſprudentia deinceps tribueretur in ordinem, ac tandem in artem redigeretur; Servius is fuit Sulpitius, cultioris Juriſprudentiæ pater, qui Dialecticam e Græcia in Juriſconſultorum ſcholas advocavit.

Ea docuit ex pluribus ſimilibus in unum coactis conſtituere regulas, et ſingulas res ad ſua revocare genera; eaque rurſus in certas diſtribuere partes. Ea definitionibus Jus civile compoſuit, diſtinxitque diviſionibus, et ex conſtitutis antecedentibus conſequentia deduxit, rationemque tradidit, qua ignota ex notis eruerentur. Ea demum effecit, ut peritia in ſcientiam tranſiret, et uſus migraret in artem, quæque diſſipata erant vel confuſa, ſuam in ſedem quæque concederent. Quamobrem Philoſophia, quæ apud Græcos in otioſis controverſiis deliteſcebat, Romæ adhibebatur ad privatam utilitatem et publicam tranquillitatem explicandis legibus, et civium litibus privato Juriſconſultorum judicio ſopiendis. Tanta enim eorum erat auctoritas, ut ſæpe cives a contentionibus reſponſis ſuis avocarent. Unde merito M. Tullius ex perſona L. Craſſi domum Jurisconſulti appellavit totius oraculum civitatis. Præter moralem et rationalem Philoſophiam Juriſprudentia ſociam ſibi atque adjutricem adhibuit eruditionem et notitiam vetuſtatis et priſcæ linguæ peritiam, quibus luminibus ſenſus veterum legum, novis moribus noviſque vocabulis mutatiſque ſignificationibus obſcurati, felicius evolverentur. Ex quo ſtudio ſcripta Juriſconſultorum non modo ſelectam, ac minime vulgarem eruditionem, ſed et mirum linguæ candorem imbiberunt, qualis vel cum aurea Ciceronis ætate contenderit; quam ingenitam juri civili eruditionem et ſcribendi nitorem diu poſt oppreſſam a barbaris Italiam exulantem princeps reduxit Alciatus. Hinc apud Gellium crebræ de proprietate vocabulorum, primæviſque ſignificationibus vetuſtiſque ritibus quæſtiones inter Juriſconſultos agitatæ.

Verum, ut orationem referamus ad Juriſconſultorum Philoſophiam, ſectam refert cognoſcere, ad quam illi potiſſimum ingenium appulerunt. Et quoniam jura vetuſtiorem originem traxerunt a Draconе Athenienſium legislatore, qui omnia fere delicta, quamvis imparia, æquali ſummoque ſupplicio plectebat; quod congruit

gruit sententiæ Stoicorum, qui omnia peccata æqualia pronunciabant, quique ad honestatem omnia referebant, cunctaque ponebant in sola virtute, quæ sententiæ Romanis moribus virtutis amore flagrantibus facile adhæresccebant, plurimumque conveniebant gravitati civilis doctrinæ: ideo universi fere Jurisconsulti ad Stoicam doctrinam confluxerunt, ejusque sectæ decretis rexerunt alueruntque Jurisprudentiam. Etenim Scævolarum familia, quæ propago fuit Jurisconsultorum, & Lucius Balbus, & M. Brutus, & quotquot fere ante Servium Sulpicium Jurisconsultis Græcas didicere literas a Stoicis fuerunt instituti, eorumque doctrinam Jurisprudentiæ contextam posteritati tradiderunt. Ac ne ulla in re Jurisprudentia discreparet a Philosophia, quæ mira sectarum varietate distrahebatur, quamquam una Stoicorum secta Jurisprudentia contineretur, tamen ex Jurisconsultorum contentionibus etiam in jure civili sunt facta divortia.

Duo enim Augusti ævo claruerunt Jurisprudentiæ lumina Antistius Labeo, & Atteius Capito, doctrina pares, ingenio vero longe dissimiles. Labeo enim hereditaria & nativa animi libertate, cum in omnibus fere vitæ actionibus, tum in definiendo ac respondendo nimis ingenio indulgebat, frenumque sæpe numero mordebat: ita ut non modo veteribus Jurisconsultis opinionum novitate, sed Augusto etiam linguæ licentia contradiceret. Attejus vero & iis quæ ab antiquis tradita erant constanter hærebat, & in vitæ actionibus tempori serviebat. Principisque gratiam semper veritate potiorem habebat: ita ut illius libertas esset asperior, hujus assentatio perniciosior: ille Principi, populo hic esset invisus; ille spretis, hic vero adeptis honoribus clarescceret. Cum autem uterque se ad docendum sæpe dedisset, & juris ambiguitates contraria ratione dirimeret, atque in controversiis alter ab altero discreparet; Atteji Capitonis doctrinam ejusque in rebus dubiis opiniones complexus est Masurius Sabinus, cujus discipuli Sabiniani sunt appellati: Labeoni vero Nerva se adjunxit, Nervæ Proculus, a quo secta est orta Proculianorum. Itaque more Philosophorum in variis juris articulis diu inter se Sabiniani & Proculiani conflixerunt usque ad Julianum, Edicti perpetui compositorem: eos vero, qui erant sub Papiniano, in illius sententiam omnes arbitror fere concessisse. Cur enim dubitarint privati sese Papiniano subiicere? cum Imperatores ipsi tantum ei tribuerint, ut ex ejus auctoritate Juris ambiguitates dissolverent, & e discrepantibus Jurisconsultorum sententiis eam præferrent, a qua Papiniani stetisset auctoritas. Quæ adeo invaluit, ut Juris auditores, qui primum studiorum annum τοῖς πρώτοις, & Justiniano; alterum Edicto Prætorum dabant; tertium Papiniani libris occuparent, eoque ineunte festum diem Papiniano hilares celebrarent, & a Papiniani studio Papinianistæ dicerentur. Ex hujus disciplina prodierunt inter ceteros Julius Paullus, & Domitius Ulpianus; cujus tanta fuit in antiquitate vestiganda sedulitas, tanta de priscis vocibus & originibus verborum atque primævis significationibus anxietas, ut majorum studio a minimis haud averteretur, & cum grammaticas quæstiunculas aliquando importune suscitaret, spinarum collector diceretur. & Greco vocabulo κατηχητὴς, quod sæpe de literatoribus quæreret, exstaret ne aliquod, an non exstaret. Hic auditorem habuit Herennium Modestinum, in quo desiit civilis Philosophia. Is enim postremus ad Jus civile scientiam contulit, qui enim postea successerunt, non tam scientia præstitere, quam usu, colligendis, præcidendis, atque digerendis veterum scriptis, quales, ut Tribonianum cum sociis reticeam, fuerunt Hermogenianus, Gregorius, Leontius, Anatolius, Thalelæus, Salaminius, & qui sub Imperatore Basilio, sive, ut aliqui opinantur, Leone, ut Justiniano gloriam compositi Juris eriperent, jussu suorum Principum, e Justiniani libris interpolatis Græceque conversis, Basilicorum libros condiderunt, quibus usque ad Constantinopolis excidium Græci sunt usi, cum glossis Stephani Nicæi, Taddæi, Eudoxii & aliorum, qui προχείρῳ ac synopsi scribenda sunt delectati, cujusmodi est, quam Harmenopulus extulit, universi Juris epitome.

Italia vero primo a Gothis, deinde a Longobardis aliorumque barbarorum colluvie occupata, & prisca libertate Romanisque moribus tandem exuta, non modo victricium suarum legum luce caruit, fuit, sed exoticus Longobardorum juribus diu obtemperavit, dominaque rerum humanarum leges accepit a servis & mancipiis quondam suis. Deletis autem Caroli Magni virtute Longobardis, legum barbariem ad Lotharium II. usque retinuit, quo tempore in Amalphia libri Digestorum reperti, præmioque latæ opis adversum Rogerium Pisanis traditi, posteaque, capta Pisa, Florentiam translati, Pandectarum Florentinarum nomen acceperunt. Fertur, autem constitutionum codex emersisse Ravennæ, quo, simul cum summa Italici Imperii, legum etiam Imperialium incubuerat auctoritas, itaque revivisscentibus Digestorum libris exarsere simul omnium studia, cunctaque Italia suas ad leges recipiendas vulgandasque conversa est, veluti ad imaginem veteris Imperii, atque ad monumentum pristinæ libertatis. Erat eo tempore in comitatu Matildis Augustæ Jurisconsultus insignis, Constantinopoli eruditus, Irnerius, quo administro maximis in rebus Lotharius utebatur. Is Imperatori auctor fuit Romani juris Edicto restituendi reducendique in academias & scholas, ut eo deinceps jure quacumque ipsius pateret Imperium, populi uterentur. Irnerius & ipse jus civile Bononiæ sibi sumsit explicandum: quem postea exceperunt Bulgarus, Placentinus, Odofredus, Azo, & ejus discipulus Accursius, qui non suos modo magistros (quorum tamen interpretationes adscripsisse sibi dicitur,) sed omnes ante se cum Græcos, tum Latinos Justinianei juris interpretes, Cujacio judice, antecelluit, ab ipso tandem Cujacio superatus, a quo unico vinci optimum duco triumphum.

Atque hi cum discipulis corpus quidem Romani juris, involutum tenebris, quantum per obscuritatem temporum licuit, detexerunt: mentem vero ipsam juris civilis, in Romanis antiquitatibus & saniori Philosophia retrusam, evocare cœpit Andreas Alciatus, postquam Vallæ primum, deinde Politiani, & Jani Parrhasii Consentini vocibus excitata Latina, & Græca eruditio in patrium solum, simul cum prisca eloquentia & arte critica, remigravit. Alciatus enim a Jano Parrhasio Græcis & Latinis literis institutus, atque omnibus artibus elegantioribus excultus, primam extulit purioris Jurisprudentiæ

facem, qua non modo Italiam, sed Galliam illuminavit universam, quo consueta civium invidia stomachatus, & amplissimis præmiis a Francisco I. allectus, ad docendum in Bituricensi schola jus civile concessit. Eo, ut sunt Gallorum ingenia cupida rerum novarum, pronaque ad meliora pro vetustioribus capessenda, e regione universa summo studio ad Alciatum concurrebatur. A quo juventus excitata tantum brevi promoverunt, ut integram nobis perfectamque reddiderint Jurisprudentiam. Itaque acceptam olim humanitatem ab Italis Galli, jure civili restituendo rependerunt. Vel unus enim Cujacius non omnes tantum interpretes vicerit, sed ipsos pene dixerim veteres conditores provocaverit. Jactis autem ab Alciato seminibus, læta continuo seges civilis doctrinæ ex ingeniorum alacritate ac studiorum assiduitate pullulavit, auditusque est in Gallia mirus concentus Jurisconsultorum, eruditæ interpretantium, & inter se de doctrina contendentium, quorum plerique a munificentia regia Biturigibus juventuti erudiendæ ingenti mercede conducebantur. Docebat etiam Avenione laude haud vulgari Æmilius Ferrettus Etruscus, cujus in disciplinam sese tradidit Antonius Goveanus Lusitanus, vir in explicando jure civili tam acutus atque perspicuus, & simul parcus, ut, si feriam huic scientiæ operam navare voluisset, neque paucis titulis explicatis exiguisque variarum lectionum libris contentus fuisset, ne Cujacio quidem, ut ipsemet fatetur, in jure civili reliquisset locum.

Extulit eadem ætas Franciscum Hottomannum, qui Tullianam scribendi venam attulit ad jus civile, eique reddidit Romanæ historiæ lucem, veterisque Jurisprudentiæ cunabula eruit e Ciceronis libris, ubi recondebatur. Hic semel atque iterum vocatus, ut Biturigibus jus civile doceret, indeque factionibus ejectus, jactatusque civilibus odiis, diu cum uxore ac liberis profugus & errabundus, attrita re familiari direptaque insigni bibliotheca, Deo vindici defertæ Religionis pœnas dedit. Novæ enim hæresis ab eo susceptæ perfidia omnem illi studiorum fructum & gloriam abstulit. Æmulatione doctrinæ graves gessit cum Jacobo Cujacio simultates, quem in aliquibus libris non obscure

ſcure carpit, cujuſque ingenii ſupra ceteros præſtantia ſimul ut eluxit, omnium Galliæ Juriſconſultorum invidiam laceſſivit. Hottomannus vero quanquam palam Cujacio detrahebat, tantum tamen ei tacito judicio tribuit, ut filio natu maximo in mandatis dederit, ne Davidis Pſalmos & Cujacii paratitla e manibus unquam deponeret: Hugonem Donellum, qui & ipſe Biturigibus magna laude docuit, jurique civili in artem redigendo haud infeliciter vacavit, ſocium habuit ſtudiorum & fortunæ, quem etiam ſcelus mutatæ Religionis diu agitavit.

Summa vero *celebritate* Biturigibus jus Romanorum expoſuit Duarenus, pari eruditione atque ſcientia, qui, etſi noſtratibus interpretibus fuerit iniquior, ſæpe tamen, quorum contemnit barbariem, arripuit doctrinam, cui ſuperfuſa ſermonis elegantia eſſet, ut faciem ſimul mutaret & dominum. Franciſcus etiam Balduinus in Bituricenſi ſchola eadem ætate docuit, egregiamque veteri Juriſprudentiæ revocandæ operam præſtitit, poſteaque ſe ad Germaniæ ſcholas erudiendas contulit, Tullianamque Juriſprudentiam e Ciceronis libris prolaturum ſe ſperabat, ſi otium aliquando in vita nactus eſſet. Eguinarius Baro, erſi non acutiſſimus in explicando, tamen ſtudioſus erat antiquitatis. Nec prorſus Connani ſtudium fuit inutile, qui ex uberioribus juris civilis locis ordine ſuo diſpoſitis commentarios contexit. De quo erudito alioqui viro Cujacius cujus integritatem judicii nullum unquam, neque odium, neque gratia flexit, *Connanus*, inquit, *doctiſſimus quidem vir, ſed non juris. Corrumpit judicium, & tempus perdit, qui illud in ejus commentariis ponit.* Humanius tamen velim de tanto viro.

Verum hos, atque alios ejuſdem inſtituti Juriſconſultos, poſt laceratum Romanorum Imperium eruditiſſimos, Jacobus tamen Cujacius perſtrinxit, & occupavit *ſtella exortus uti æthereus Sol.* Ornarunt enim alii atque explicarunt: hic vero peperit denuo Juriſprudentiam e Cujacii mente, velut Minervam e Jovis cerebro editam. Totidem enim ille Juriſconſultos expreſſit, quot ſibi ſuſcepit explicandos, ita ut in uno Cujacio Papinianum, Paullum, Scævolam, Ulpianum, Africanum, Modeſtinum ſimul cum ſua quemque dicendi forma revixiſſe crederes. Cogitando enim atque ſcribendo adeo refert mentes animoſque veterum, ut non collecta longo ſtudio, ſed ab ipſo primum omnis cum Juriſprudentia divinitus concepta videatur antiquitas. Imminentem omnibus Cujacii gloriam præſenſere ſui temporis Juriſconſulti, ac præcipue Duarenus & Donellus eum in Bituricenſi Academia Balduini loco adſcitum iniquiſſime tulerunt, ita ut ex diſcipulorum factionibus tumultus orirentur, quos Cujacius, feſſus æmulorum inſidiis, diſceſſu ſuo compoſuit. Quæ invidia mire ſtudiorum ei curam exacuit, itaque ſæpe prædicabat, Duareni ſtimulis aeceptum ferre ſeſe quidquid in Juriſprudentia profeciſſet. Philologos & Hiſtoricos veteres nunquam a Juriſprudentia diſtraxit: eorum enim ſtudio, tanquam hamo, ſe in jure civili piſcari dicebat.

Sane qui Philologiam exiſtimet a Juriſprudentia poſſe divelli, idem petierit, ut navis communis cum ſocio dividatur. Verum ex omnibus Cujacii laudibus hanc duco maximam, quod Romanæ Religionis fuit in tanta Galliæ fluctuatione tenaciſſimus. Cujacio quem proprius collocem, habeo neminem præter Jacobum Gothofredum, Antonium Fabrum, & Barnabam Briſſonium. Is, ab adoleſcentia defendendis cauſis & forenſibus judiciis deditus, tamen iis temporum intervallis, quæ relaxandis animis vacant, adeo ſibi erat avarus otii, ut e medio forenſium occupationum pelago ad non minus laborioſum antiquæ Juriſprudentiæ ſtudium, velut in portum ſeſe referret. Itaque præter abſtruſa legum vocabula, parteſque alias juris veteris in lucem prolatas, ritus omnes atque ſolemniores verborum formulas, quibus civile ac ſacrum Romanorum commercium irretiebatur, ex infinita varietate ſcriptorum, obſcuriſque ambagibus mirabiliter extricavit, ita ut ſermonis elegantiam pluribus, huic vero uni ſacram atque ſolemnem Latinæ linguæ ſupellectilem debeamus.

Atque hos, initio ab Alciato facto, liceat mihi vocare majorum gentium Juriſconſultos, inter quos Cujacius omnium ætatum judicio ſummus erit Juppiter. Quid nunc vero commemorem Semones Deos, Dionyſium nempe Gothofredum, Petrum Fabrum, Rævardum, Corraſium; Coccejum, Merillum, Maranum, Robertum, Charondam, Zaſium, alioſque numero potius illis majores, quam doctrina pares?

Non tamen adeo Italiæ vetit male, ut omnis cum Alciato ſuo Juriſprudentia in alienas terras commigrarit. Nam dum hic ei quieto vivere licuit ac Bononiæ juventutem erudire, plures peperit ſelectioris doctrinæ Juriſconſultos, etſi neminem prorſus cum Cujacio comparandum. Excelluit autem in primis Antonius Auguſtinus, qui ortum quidem ad Hiſpania traxit, doctrinam vero & gloriam ab Italia. Quam autem Bononiæ ſub Alciato ſcientiam auxit, adduxit in forum Romanum, ubi inter duodecim viros litibus judicandis, quos Rotæ Auditores appellant, a Pontifice lectus, collegium doctrina celeberrimum auxit ipſe nova ingentique gloria. Nec enim civile modo jus profanum, ſed & ſacrum atque omnem prope Romanam antiquitatem emendavit. Nec doctrinarum tantum, ſed morum etiam eluendis maculis natum diceres: tanto ardore atque ſpiritu in Tridentino Concilio adverſus temporum corruptelam pro priſca Patrum diſciplina dimicavit.

Poſtremo haud mihi reticebitur Guidus Pancirolus, illuſtriorum ſcholarum in Italia magiſter eximius, qui cultiori Juriſprudentiæ univerſæ antiquitatis notitiam eruditiſſimis libris comprehenſam attexuit.

Cum igitur, ut brevi narratione oſtendimus, Juriſprudentiæ Philoſophia incunabula dederit, eique lucem a barbarie ademtam reddiderit eruditio; ecquis juris civilis ſtudium faſtidierit, ut inconditum & rude, aut perfectam eruditionem ſine juris civilis cognitione ſibi aſſumſerit? Quid enim eruditius eſſe poteſt ea ſcientia, quæ cum arcanis Latinæ linguæ, cum antiquiſſimis Græcorum & Romanorum moribus reconditaque hiſtoria & exquiſita ratione temporum adglutinata eſt atque permiſta? Et quoniam pro variis Imperii converſionibus Juriſprudentia mutavit adſpectum, ut e ſingularum ætatum legibus recta ſententia colligi poſſit, eaque trahi ad ſimilia; mores illarum ætatum, regimen, magiſtratus, profani ſacrique ritus, & ſolemnia diſtinguenda ſunt atque notanda. Nam neque Decemvirorum ætas, qua utimur ad interpretationem legum XII. tabul. ſuffecerit explicandis poſterioribus Plebiſcitis, aut Senatuſconſultis, aut Prætorum Edictis, quorum temporibus aucta multitudine jus cæpit eſſe remiſſius atque benignius, quo facilius ad tantam ingeniorum atque morum varietatem flecteretur: neque libertatis tempora ſatis fuerint explicandis Principum conſtitutionibus, quibus novi magiſtratus, nova munera, novique ritus novis vocabulis exprimuntur. Quid de varietate negotiorum dicam, quæ varietatem peperit vocum? quarum ſenſum ſi abſque Philologia veſtigabimus, perinde fuerit, ac ſi conemur ſine remis veliſque navigare. Cum autem tanta eruditio juri civili advolvatur, poteritne, qui legum ſtudia contemnit, ea eruditione non carere, aut qui ea eruditione caret, ſatis eruditum ſeſe gloriari? Quid? Oratores poteruntne ſine fraude Juriſconſultorum lectione abſtinere, quorum libri mira majeſtate atque ſplendore collucent? Quid enim dicam de Latinitatis candore poſteriori ætate neglecto fere ab omnibus & peregrina labe corrupto, a ſolis autem Juriſconſultis ad exemplum ætatis aureæ revocato? Quid commemorem Demoſtheneam eorum ſtili vim atque frugalitatem? Quid felicitatem prope Tullianam? Quid reſpondendi gravitatem Delphica tripode plane dignam? Philoſophi vero ſi juſti, atque injuſti cognitionem generatim ſuſceptam ſingulis perſonis certiſque negotiis & eventis definite velint adhibere, poteruntne ab aliis dirigi, quam a JCtis, non verbo, ſed re atque uſu, Philoſophis, quorum reſponſis communis vitæ officia ſingillatim & enucleate deſcribuntur, & juſti atque injuſti pondera ſingulis in cauſis atque perſonis mira æquitate librantur?

Theologi vero tandem, ſi nihil aliud a Juriſconſultorum libris addidicerint, invenient in iis, quo coarguant corruptam morum doctrinam, exemplique ſeveritatis e juris conditoribus petitis opinionum licentiam coercebunt: quo pudeat nos Chriſtianæ legis auſteritatem profitentes, adeo remiſiſſe diſciplinam, ut a JCtis Evangelica luce deſtitutis interpretandi candore, amoreque juſtitiæ, atque ſententiarum gravitate vincamur.

Nunc obſecro vos, Adoleſcentes Juriſprudentiæ ſtudioſos, reputate animo ſtudiorum veſtrorum dignitatem, quo alacri-

ter eam scientiam insistatis, in quam veterum novorumque criticorum eruditio, sublimiorque Philosophia, & universa historia, atque omnium temporum prudentia concesserunt: Dixi.

Habita Romæ.

ORATIO

DE CANONE INTERIORI,*

Ad suos Juris Pontificii auditores.

VEstra, Juvenes, in hoc Archigymnasio assiduitas atque modestia, vestraque discendi cupiditas postulare videtur a nobis, ne proximis vacationibus vos absque aliqua utilitate atque occupatione studio vestro digna dimittamus. Cum autem quotidie sacros a nobis exterioris disciplinæ canones accipiatis, decet sane, ut instantibus jam solennioribus pœnitentiæ temporibus, recurrentibusque annuis diebus funeris illius, unde nobis beatæ vitæ processit æternitas, referatis hinc vobiscum interioris disciplinæ rationem, ex qua, quisquis vestrum ab studio legum jus reddere aliis addiscit, sciat in posterum, quod est longe difficilius, jus reddere ipsi sibi, atque ab animo suo propulsare injurias corporis: quique totos dies a civili scientia docetur alios regere, norit, quod magis interest hominis regere semetipsum, nec modo cum civibus, dum in hac vita mortali moratur, verum & cum propriis affectionibus tuto ac tranquille ad beatam spem immortalitatis habitare. Quid enim prodest tribuisse cuique suum, exteriorisque justitiæ usu composuisse lites alienas, quando animi nostri litigiis discindimur, & nobiscum perpetuam injustitiam exercemus, tradentes mentem in corporis potestatem, iramque atque cupiditatem supra rationem attollentes, permutatis contra naturæ legem singularum facultatum officiis?

Quo igitur simul tranquillitate publica quisque propriam assequamur, oportet omnes juris regulas introrsum retrahere, artemque Justitiæ transferre ad animum nostrum, ut iisdem sapientiæ luminibus, quibus injustitiam compescimus aliorum; injustitiam propriam, nempe nostrarum cupiditatum intemperantiam, perdomemus.

Igitur quia pars nostri, quasi lumen & oculus interior, cognoscendis discernendisque rebus vacat; pars vero alia cæco appetitu ducta, volvitur in sensuum tenebris: ne simus, obsecro, adeo nobis injurioſi, ut naturæ dissolvamus harmoniam, sed potius ex divina institutione regimen dominiumque nostrorum omnium providenti facultati, verumque a falso, & æquum ab iniquo distinguendi, unice permittamus. ubi enim nobis ratio, quæ gubernaculum est animorum, imperaverit, justitiam pariet interiorem; perinde atque lex civitatibus præsidens justitiam creat externam, cum ratio lex privata sit, lex autem ratio publica, quæ de multorum ratione consiliisque coaluit, ut in communes cederet mores. Has boni & æqui arbiter assertorque futurus, nisi noverit in semetipso locare partes, nunquam extra se certe profecerit, quantumcunque hauserit e fontibus civilis & pontificii juris. Vir enim injustus quo peritior fuerit juris, eo peccabit profecto liberius, quia pœnas cavere didicit, ac peccandi tempus novit, locumque tutiorem.

Facultates autem animi recte locare, atque intra hominem fundare justitiam, humana simul docet ac divina sapientia. Præ qua etsi humana caliget, utemur hac tamen, veluti cortice utuntur nare incipientes, neque omnino Philosophiæ munera negligemus, quæ naturalis justi-

(*) Huic orationi principem inter reliquas locum tribuimus, adeo sancta est & plena optimæ frugis, dignaque, quæ studiosis hominibus legenda detur, antequam ad reliqua accesserint. Commendat ea Auctor studium pietatis &, quæ partes ejus sunt, humilitatis & patientiæ Christianæ, idque summo verborum & argumentorum pondere. Sine pietate autem etiam curæ nostræ cinis sunt. In transitu Philosophiæ Platonicæ amorem profitetur, Philosophiam simul perstringens Scholasticam, & simulatæ quorundam pietati opponens simplicitatem honestatis in ipso usu boni & æqui consistentis.

justitiæ vires explicavit, asseruitque regnum rationis humanæ, in qua, velut in tabula, divinitas cum notitia sui honestatis leges insculpsit æternas. Quas profecto leges vitiis in hominibus consepultas exsuscitavere Philosophi provocantes cognitionis igniculos ac divinæ naturæ simplicitatem pandentes tollentesque multitudinis Deos: quorum auctoritate atque exemplis mortales miseri vitia diu aluere sua, dum ab Diis ipsis, quibus humanas affectiones adscribebant, criminum omnium exordia ducerent.

Quamobrem Socrates, cum justitiam videret metu Deorum non satis munitam, disputationibus suis prodidit pœnas interiores in animis injustorum, ad præsentem quoque criminum ultionem excubantes, quo intelligeremus vitia secum suos perpetuo circumferre carnifices, mœrorem nempe, tædium, pœnitentiam, & odium fugamque sui: quibus calamitatibus sibi cognatis injustitia regios inter apparatus miserrime torquetur, & in opulentia fastuque suo cruces inveniens acerbissime laniatur. Contra vero justitiam, etsi opibus omnibus exutam, continere tamen erumpentem ex sese ipsos inter cruciatus beatitudinis fontem, animumque optime sui conscium in medio flammarum ingenti lætitia perfundentem, eaque pœnas omnes corporis exsuperantem, quibus notionibus, tanquam alis explicatis, Plato adeo superne pervolavit, ut in libris *de republica* imaginem etiam adumbraverit infinitæ ac divinæ justitiæ, quæ humanitatis vitium emendavit.

Quid mirum igitur, si majores nostri, & Ecclesia universa longo tredecim seculorum serie uni & summo Philosophorum Platoni scholas aperuere Christianorum? Quid mirum, si tam exiguum discrimen inter Platonicam nostramque doctrinam post veteres Patres D. Augustinus animadvertit? Quid denique mirum si Platonici ante alios, ab ipso exordio Religionis nostræ ad Christiana castra transeuntes, ad eam propugnandam se Apostolis obtulerunt? Illud vero mirum est maxime, quod Sophistarum primores, ne a magistris redire cogantur ad discipulos, assidue garriunt, Platonem nempe, utpote nobis magis affinem, exulare a nostris debere scholis. Quasi tutius cum hostibus, quam cum amicis fœdera ineantur, ac rectius nos homunciones consulamus, quam Dionysius Areopagita, Justinus Martyr, Athenagoras, Irenæus, aliique discipuli ac familiares Apostolorum. Adimunt igitur nobis Platonicam doctrinam, quæ priscis Christianis erat quasi quædam naturalis initiatio pietatis, dum novam virtutis vitam ingressuros veterum vitiorum illecebris exsolvebat.

Verum enim vero Philosophi emendandam quidem naturam humanam autumabant, resectis desideriis inanibus, non tamen radicis ipsius vitium animadverterant, atque corruptelam humanitatis universæ: qua nisi tota discesserimus, nunquam exibimus a vitiis. Atqui non potuissent illi totum veterem hominem tollere, cum novum alium & meliorem substituendum non haberent. Suboluerat enim fortasse per Hebræorum doctrinam alicui sapientum vetustissimo hæc humanæ naturæ contagio, veluti Herodoto, qui ex Othanis persona dixit: Φθόνος δὲ ἀρχῆθεν ἐνεμφύεται ἀνθρώπῳ, *homo ab ipsamet origine sua malignitatem contrahit*: sed quisnam alius caput hoc malorum, nempe hominem ipsum per naturam genitum, præcidisset; nisi Deus ipse qui humana carne susceptа, loco veteris novum reddidit hominem per gratiam procreatum? Cui alendo sacramentorum nobis reliquit & Evangelicæ doctrinæ cœlestem ubertatem, per quam dum nosmetipsos abjicimus, eosdem nos longe felicius invenimus.

Nos enim ipsos abalienantes exercitamus opum honorumque cupiditatem, & livorem, & invidentiam, aliasque periculorum & anxietatum & laborum radices. Quibus amotis non modo temporariam, sed immortalem tranquillitatem impetramus, deponentesque caducum hominem, divinum in æternitate subimus: quæ merces immortalitatis non permutatione, sed contemtu nostri, & infinita æstimatione meritorum Christi comparantur. Quibus induemur, si omnes appetitiones nostras divinitati contrarias extinxerimus. Unde a Christo admonemur, ut, si per oculos cupiditates & libidines concipiamus, ipsosmet nobis eruamus oculos, hoc est vitia illa, quæ sunt nobis cariora ipsis oculis, extirpemus; ne, dum eis fruimur, totum corpus, nempe vitam beatam & spem divinitatis amittamus. Hinc & ab Evangelica doctri-

na

na homini sui ipsius amor eximitur. Cum enim homo sit concretio vitiorum, dum se quisque diligit, asserit sibi vitia illa, ex quibus miserias contrahit suas, ut nullius odium tantopere noceat, quam amor cujusque proprius. Hinc qui semet oderit, hoc est naturæ vitiositatem humanæ abominetur, eadem opera sese plurimum diligit; liberatur enim a vitiis, quæ sævius tumultuantur in amatore sui ipsius; dum indulgendo sibi noxiarum cupiditatum intra se alit incendia. Hinc eadem divina sapientia nos hortatur, ut condamus thesaurum in cœlo, ubi nulla ætate, nullo raptore consumitur, opesque negligamus humanas, quas longo labore paratas, & ingenti periculo custoditas, fruendas, reliquimus aliis, aut potius profundendas. Opes enim nemo magni faciet, nisi qui earum quærendarum laborem periclitetur; ut, cum quæsitis ab se per mortem imminentem nemo fruatur, & relictas ab alio quisque contemnat, nullæ divitiæ dominis prosint suis. Unde cogor, si per te, Clemens XI. licuerit, verbis tuis elegantissimis exclamare:

O fallaces divitias Christi paupertate damnatas!

Hinc ad infantium & parvulorum conditionem ac statum a Christo revocamur; non modo ut recentem ab eo naturam expulsa veteri accipiamus, & ad puerilis animi candorem ac simplicitatem remigremus; verum etiam, ut vilibus & exiguis atque parabilibus contenti simus: ne quærendis majoribus ac difficilioribus longius a Deo & a nobis aberremus.

Et quoniam opinione nostra falso naturales necessitates augentur absurdum fore ostendit, si natura, quæ volucribus & plantis cibum vestemque paravit, victum & indumenta invideri hominibus, quibus, non modo terram, sed & cœlum Deus benignissime patefecit. Ipsi nimirum nos propriis cupiditatibus necessitates nobis attraximus; cum hominem, ad mentis cultum procreatum, traduximus ad cultum corporis, vanis deliciis, veluti venenis, debilitantes robur nostrum; ut præter naturæ dona opem petere cogamur ab artificiis hominum, &, cum nulli sua regio sufficiat, victum & vestitum procul expectemus, vitamque totam in paran dis vitæ subsidiis occupemus.

Superbiam vero & iram, quibus assidue jactamur, duobus potentissimis remediis compescuit, animi demissione, quam humilitatem dicimus, & caritate. Qui enim de se demisse atque humiliter existimat, neque honoribus anteire concupiscit, neque loco motus, ob acceptam injuriam excandescit, utpote suæ imbecillitatis conscius. Quam sane imbecillitatem quisque profiteretur, si humanæ naturæ languorem & appetitionum vanitatem animadverteret, ut nihil aliud sit animi demissio, nisi ponderatio humanitatis, ac recta æstimatio cujusque sui. Quam si veram nostri cognitionem accipiemus, neque bonis dignos nos, neque malis indignos arbitrabimur. Unde neque indignabimur, si non extollemur; neque, si deprimemur, omnino contristabimur; atque ita subacto animi tumore cruciatus effugiemus, qui non in parandis modo & amittendis, sed & in gerendis honoribus pereruntur. Impetratorum enim honorum gaudium exhaurit statim aviditas anxietasque novorum; ut non tam lætum sit præstare minoribus, quam superioribus cedere molestum: aucta enim dignitate crescit ambitio, quæ si attigerit summum, nec habeat quo evagetur, tum, veluti Charybdis undas resorbens suas, intra se vehementius exæstuat, & omni spe feliciter, defuncta cupiditas vertitur in mœrorem. Qua de tempestate sola nos a Christo instituta humilitas eripuerit: iram vero & prolem illius odium livoremque Christiana sola extinxerit caritas: quæ amorem hominis cujusque proprium sursum extulit, atque ad unam reflexit infinitam divinamque naturam, quæ, cum sit orbis bonorum omnium, jure suo sibi vindicat amorem nostrum, cum extra se nihil bonum atque amabile inveniatur, nisi quod ipsius Dei causa ejusque jussu proponitur diligendum; quale ipsum est hominum genus proximorum nomine veniens, sine quorum amore mutuo nulla vel publica civitatum, vel privata pax extiterit singulorum. Non minus enim animus hominis odio & ira, quam seditionibus civitas turbisque discerpitur. Unde non morum, si amor cujusque proprius, caritati oppositus, motum ac bellum excitat discordium inter se affectionum, quibus tum privatim, cum publice componendis caritas mutuam inter homines incommodorum tole-

tolerantiam, & commodorum voluntariam communionem instituit: quamvis igitur aliquibus Philosophorum interluxerit veritas hæc humanitatis ab origine sua vitiatæ, quod quidam significare videtur, cum ait, præceptorem suum intellexisse,

—— vitium vas efficere ipsum
Omniaque ipsius vitio corrumpier intus:

tamen mederi malo non poterant, quia totum hoc divinum erat reparationis opus: deinde quod cœlesti hoc ministerio duarum caruere virtutum, quarum altera cupiditatem, altera oppressit iram, ut Philosophi tantum ad exscindendam, hæ vero divinæ satellites ad evellendam arborem vitiorum incumbant. Qui sese igitur contemserit, haud indigne feret, si ab aliis contemnetur, & læsus pœnas non reposcet; sed ultro remittens ultionem, imo & novæ sese offerens injuriæ, non modo exarmabit alienam iram; sed pudore afficiet aggressorem, eumque ab inimico sibi amicum & obnoxium reddet sola patientia, seu potius magnitudine animi. Magnificentius est enim condonare, quam vindicare injuriam: non enim condonamus nisi victo, nec ulciscimur nisi majorem, aut parem; ut, qui obliviscitur injuriarum, si non potentia corporis, at celsitudine mentis vindicat inimicum, sibique atque aliis tranquillitatem pariat: ultio enim germinat, multiplicatque odia & pericula; remissio vero vertit odium in amorem. Ac si de nobis humiliter sentiendo, aliosque Dei causa diligendo, facile feremus injurias inimicorum, longe facilius aliorum, ac præcipue amicorum, vitia sustinebimus. Introspicientes enim animi nostri labem, trabemque oculis nostris objectam expendentes, pro nihilo ducemus aliena ulcera & festucam in oculis amicorum; ideo aliis parcendum putabimus, si nobis ut parcatur, expetamus.

Quid vero dicam de molestiis, quæ veniunt a rebus insensibilibus, de morbis, de tempestate, de jactura rei familiaris, de morte atque calamitate necessariorum? hæc omnia, quæ neque militum copiis, neque opum abundantia, neque imperii magnitudine vincuntur, sola nimirum patientia Christiana superantur. Hac eadem enim virtute, qua dominamur animis nostris, res etiam subjicimus nobis externas, a quibus pro modo cupiditatum in adquirendo gaudium, & in amittendo tristitiam capimus. Etenim ubi mentem conjicimus in æternitatem, nostra rerum caducarum opinio statim extenuatur, & earum sive adquisitionem, sive jacturam tanti non putamus, ut ex felici, aut tristi eventu admodum commutemur. Unde nobis difficile non fuerit invicta tolerantia graves atque acerbos levare ac lenire casus. Hanc vero adversorum ferendorum facilitate opulentiores vix assequuntur, utpote qui plura possidentes tenacius hæreant rebus caducis, quarum amore irretiti alias frustra tollere conantur ad divinitatem, ad quam pauperes, utpote a rebus externis expeditiores, longe felicius convolarint. Subtractis enim divitiis & honoribus, quæ sunt alimenta vitiorum, surgunt continuo germina per CHRISTUM conspersa virtutum, quæ, si radices egerint interius, in exteriorem etiam cultum profundentur, & instar arboris bonæ ad aliorum etiam exemplum sæpe florebunt.

Contra vero Pharisæorum pietas, quorum nunquam copiam defuturam Paulus & Christus ipse prædixit, instar arboris malæ malos etiam ferebat fructus: non enim gignebat nisi simulatores pietatis pares magistris, quia ritibus tantum occupabantur externis. Interius vero volvebant avara & ambitiosa consilia, quibus expediendis imaginem sumpsere sibi perfectæ virtutis; cujus opinione, pravitatem animi sui tegentes, majori auctoritate apud populum & magistratus vitam calumniabantur eorum, super quorum ruina dignitatem sibi molirentur. Hinc a CHRISTO sepulcris comparabantur, quæ magnificentiam suam omnem promunt extrorsum, introrsum vero nil nisi putrorem, tabemque recipiunt. Hinc ab illo hypocritæ appellabantur, sive histriones; propterea quod applicarent vitiis personam probitatis, & livorem suum religione prætexerent: quibus fraudibus in hac vita, velut in scæna tantopere attollebantur, ut ab omnibus damnandi damnarent omnes, jus dicentes iis, quorum judicium subire debuissent, & præceptorum partes agentes, cum transire oportuisset ad discipulos, non solum ut aliorum acciperent, sed ut veteratoriam suam deponerent artem vaferrimamque doctrinam, cujus fraudulentia serpens per nos vas divinarum legum interpretatione

æterna jura furtim subjiciebat affectionibus humanis, & opinandi licentia implebat adeo vela cupiditatum, ut professores illius, post quam rapacitati suæ pietatis causam prætendissent, neque a captandis hereditatibus, neque a circumveniendis pupillis, neque a devorandis viduarum substantiis abhorrerent.

Iidemque illi, qui laqueos tendebant legibus easque ancillas ambitioni propriæ reddebant, in rebus tamen exigui momenti tantam religionem adhibebant, ut refugerent, homines nempe meticulosi, ac simplices, ægrotos curare Sabbato, divinumque Præceptorem nostrum arguerent, quod beneficentiam suam hominibus eo die præberet. Unde illis ostendit non hominem propter Sabbatum, sed Sabbatum ritusque alios hominis causa fuisse institutos; ideoque novos Mosaicæ legis doctores a sensu ejus aberrare longius, quod superstitiosa simul & captiosa verborum interpretatione voluntatem legum, nempe caritatem, extinguerent, cui nutriendæ lex ad homines per Mosen a Deo processerat.

Cavendum igitur, Adolescentes, ne leges, quas addiscitis, sive Cæsareas, sive Pontificias animo impuro contrectetis, vestroque vitio sensus earum corrumpatis, atque adnitendum, ut interiorem identidem excolatis legem, expromentes ex vobis atque afferentes ad hæc studia honestatem, caritatem & fidem: quibus discipulorum virtutibus, nihilominus quam præceptorum vocibus, leges illuminantur. Vertit enim eas quisque in proprias affectiones, tribuens illis animum suum, ut pravus animus pravas etiam opiniones ex invitis utcunque legibus protrahat, quas tuentur argutiis Dialecticorum. Unde non mirum, si non modo judicia, sed & mores hominum opinionibus regantur, a sententia legum & canonum alienissimis. Quamobrem ei, mea sententia, Deus meus fuit maxime propitius, qui parum inter Sophistas nostros habeatur acutus. Is enim facultate carens tuendorum errorum, armisque falsitatis exutus, minime noverit vitium cum virtute componere, neque audebit integra fronte dolum, ultionem, rapinas, injurias, usuras, & nefarium quotcumque scelus legum auctoritate propagare. Unde communi sensu ductus humanitatis, jura sive humana, sive divina in partem accipiet candidiorem; tantoque amplius in cognitione veritatis, & boni & æqui arte profecerit, quanto minus in verborum fraudibus excelluerit.

Utinam vero illa perpetuo deploranda tempora, quæ acute delirando, & incassum obstrependo, cum vulgi stupore vulgarique pompa, ingenti sumptu transiguntur, cultu Latinæ linguæ civilisque ac sacræ historiæ studiis a juventute occupentur! longe profecto minus esset vobis in addiscendo difficultatis, & laboris nobis in docendo subeundum. Acceptis enim priscis loquendi formulis, cognitisque ab historia moribus cum Romanæ Reipublicæ, tum veteris Ecclesiæ, clavim jam legum & Canonum teneretis, atque radices attigissetis earum. Quam gravem sane ac noxiam jacturam temporis incremento laborum censeo reparandam, simulque incumbendum, ut exteriorem disciplinam, quam hinc auferetis, perpetuo animi cultu ad interiorem naturæ atque Evangelii legem revocetis. Dixi.

Habita Romæ anno Christi MDCCIII. IV. Non. April. Fer. 1. major. hebdomadæ.

ORATIO.

De Recta in Jure Disputandi Ratione.

Doctrinæ omnes atque scientiæ, artesque illæ, quæ manus ministerio non utuntur, ad duo genera ferme revocantur: quorum alterum solam contemplationem sibi proponit, alterum vero disputandi potius causa contemplatur. In contemplatione potissimum versantur scientiæ rerum naturalium, quæ in Pythagoræ, Thaletis, Anaxagoræ, ac Democriti olim enatæ sinu, initio in experimentorum recessibus

(*) Occurrit hac oratione Gravina partim argutiis Dialecticorum, partim barbariei JCtorum Pragmaticorum. Ostendit enim in priore eademque maxima ejus parte, jurisprudentiam Romanam arte syllogistica carere posse, parumque juris studiosis prodesse enthymematum formas: dein a Clemente XI. Pontifice Maximo contendit, ut litterarum constituantur Professores, ne vel præ imperitia Latini sermonis adolescentulis necesse sit fugere prælectiones juris Romani.

sibus habitabant, ad Socratem usque ac Platonem: a quorum præceptis ad aulicas atque ambitiosas concessere Peripateticorum scholas: ubi, depositio veritatis amore, verborum laudem atque popularem gratiam præoptarunt: & quæ prius veris notionibus animos imbuebant, ambitioso post acumine vanitatem armarunt: ut non tam soliditas rationum, quam theatralis quædam subtilitas & vulgarium sententiarum obstinatio in scientiis laudaretur.

Extincta deinde cum apud Græcos, tum apud Latinos eloquentia, doctrinæ, quæ a scholis Græcorum ad Arabas migrarunt, non solum veritatis, verum etiam sermonis ac disputationis amisere laudem: & a perpetuæ orationis ubertate atque cultu, enthymematum & syllogismorum salebras transierunt.

Ad alterum genus doctrinarum, ubi sæpius contemplatio disputationis causa suscipitur, ipsa pertinet eloquentia, quæ scientiis aliis verba suppeditat, & humaniores omnes literæ: interque civiles artes nostra potissimum jurisprudentia, quæ recte cogitatis & recte itidem disputatatis alitur atque coalescit. Quæ sane jurisprudentia, florente Republica, atque etiam sub Imperatoribus, quando barbaries nondum scientias operuerat, cum soliditate rationum, disputandi quoque normam trahebat a scriptoribus illis veteribus, qui optime ab se inventa gravi concinnaque oratione proferebant.

Verum eadem bonarum artium ab Arabis orta lues tandem & jurisprudentiam hausit, eamque conjecit in vortices dialecticorum: qui attriverunt acuminibus veritatem, & scholarum spinis lumen rerum atque perspicuitatem sententiarum prætexuerunt.

Atque hanc a naturalibus quidem scientiis pestem, rixarumque vecordiam Philosophorum nostris temporibus in Italia, Germania, Gallia, Britannia præstantissimi averruncarunt, ac pristinam revocavere studiorum severitatem, sacrumque illud repetiere silentium novorum inventorum ætate nostra feracissimum.

Verum quanta dialecticæ ipsiusque mentis humanæ corruptores in scientiis naturalibus peccent, quibusve contumeliis Philosophiam afficiant, nihil sane refert mea. Illud tamen tacitum a me certe non tulerint, ne inutiliter sim docendæ atque custodiendæ jurisprudentiæ susceptus, quod hunc disputandi morbum in legum doctrinam per dimissos ab se invexere discipulos, qui, pro Græcis & Latinis literis notitiaque historiarum, captiones & conclusiunculas ad studium juris civilis afferentes, perinde argutantur in legibus, atque ab ineunte ætate in scientiis aliis consuevere. Quæ sterilis atque perversa differendi ratio, cum ubique sit noxia, nusquam tamen exitiosior est, quam in divino humanoque jure. In illis enim scientiis, quæ sola contemplatione absolvuntur, falsa ratio suum non egreditur orbem: at error, a mente in divino humanoque jure conceptus, plerumque opiniones parit, quæ vel animos, vel patrimonia pessumdant. Unde nihil magis jurisconsulto necessarium, quam recta & sana minimeque fallax norma differendi: pro qua si perplexandi morem arripuerit sua falsitate judicii civilem quoque statum, & opes atque fortunas aliorum evertet. Assuetus enim falsis rationibus, etsi alterius irretiendi maxime calleat artem, desuetudine tamen veritatis viam nunquam noverit explicandi sui, nec nisi fortuito justi atque injusti discrimen invenerit, ut ei tota vita sit inter larvas in umbrarum prælio conflictandum.

Hos ego justitiæ scopulos, & offendicula rationis humanæ, quantum contendere voce atque ingenio possum, conabor abrumpere; indicata breviter honesta illa & verecunda, minimeque pervicaci norma disputandi, qua majores olim nostri ante Arabas utebantur: quæ sicuti contra falsitatem ingenium exacuit, ita illud subjicit imperio veritatis: contra quam dicacula illa & argutatrix dialectica vulgaris totos dies impudentissime latrat ipsa, & latrare doctrinas alias docet. Quæ mentes adolescentium eo fœdius corrumpit, quod non solum falsis rationibus, sed etiam injustis laudibus eos ad superbiam adducit atque jactantiam, ingeneratque animis una cum contemtu severioris atque modestioris doctrinæ amorem popularis auræ, quam a teneris annis in corona sophistarum singulis diebus aucupantur.

Vos vero, qui ad justitiæ studium conveniistis, adolescentes, nullam illius cognoscendæ spem habetote, nisi allatas huc forte muscipulas dialecticorum abjeceritis, eamque disputandi rationem institueritis, quæ sicuti nunquam retegenda &